vocandis Conciliis, & ſtatuenda diſciplina eccleſiaſtica habet omnem auctoritatem, ut probat Hallier. *ubi ſup.* utiturque inſignibus propriis, vexillum crucis deferendo etiam extra ſuam provinciam, *c. antiqua, de privilegiis*. Alia munia, & officia Patriarcharum referunt Cæſar *ubi ſup. diſp.* 4. §. 4. Hallierius *ubi proxime*, & alii ſupra congeſti de Patriarchis, & eorum dignitate agentes.

9 Archiepiſcoporum juriſdictio. Archiepiſcopi etiam in proprios ſuffraganeos non inferiorem obtinent auctoritatem; habent enim ordinariam juriſdictionem in Epiſcopos ipſius provinciæ, *c.* 1. & 2. 99. *diſt. c. per ſingulas* 9. *q.* 3. quare & vicarium ſuffraganei poſſe carceri mancipare, probat Marinis *l.* 1. *reſol. c.* 28. Dicunturque eidem Suffraganei metropolitana legi ſubjecti, *c. paſtoralis, in principio, de off. ordin.* olim quidem in Synodo provinciali de eorum cauſis cognoſcebant, *c. ſalvo, c. Archiepiſcopus* 9. *q.* 3. *c. placuit* 2. *q.* 6. *c. ſi inter* 6. *q.* 4. *c. ſi clericus* 11. *q.* 1. Hallierius *de hierarch. juriſd. l.* 4. *pag.* 497. Hodie civiles tantum cauſas definire valent. Poſſunt etiam Metropolitani Concilium provinciale celebrare irrequiſito Primate, *c. ſi quis Epiſcopus*, 97. *diſt. c.* 1. 18. *diſt.* & convocare Epiſcopos, qui etiam renuentes venire coguntur, *canon.* 31. & 38. *Apoſt.* Concilium Nicænum 1. *can.* 5. Antiochenum *can.* 20. Calced. *can.* 19. Arelat. 2. *can.* 18. Agath. *can.* 35. Tarracon. *can.* 13. Toletan. 2. *can. ultim.* Tolet. 4. *can.* 5. Aurelian 2. *can.* 2. tertium *can.* 1. quartum *can.* 36. quintum *can.* 38. Turon. 2. *can.* 1. Matiſcon. 2. *can.* 20. Epaunenſe *can.* 1. Trullanum *can.* 8. & in ipſo Concilio teſtes deſignare, qui in futura Synodo referant ea, quæ reformatione digna judicentur, juxta textum *in c. Epiſcopus in Synodo*, 35. *q.* 6. & Epiſcopos in eo delinquentes punire, quorum judices ordinarii ſunt. Clem. *ep.* 1. Anacletus *ep.* 4. *ante finem*, Anicetus *ep.* 1. Hyginus *ep.* 1. Calliſtus *ep.* 2. Lucius *ep. un.* Concilium Antiochenum *can.* 9. & 14. Nicænum *can.* 54. Carthag. 3. *can.* 5. Tolet. 3. *can.* 20. Matiſcon. 2. *can.* 9. Aurel. 5. *can.* 17. *c.* 1. §. *fin. hoc tit. in* 6. Debent etiam Archiepiſcopi ordinare omnes Epiſcopos comprovinciales, ut probavi *in c. ſi Archiepiſcopus, de temporib. ordin.* quo tempore illis debent promittere obedientiam, & reverentiam. Concilium Vern. ſub Pipino *can.* 3. Mel *can.* 31. Tullenſe *can.* 9. atque Epiſcopis proficiſcentibus extra provinciam litteras commendatititias dare, Concilium Antioch. *canon.* 2. Carthag. 2. *can.* 28. Aquiſgran. *can.* 77. Tandemque majores & difficiliores cauſas, quas Epiſcopi decidere non valent, ad Archiepiſcopum referre. Concil. Mogunt. celebratum anno 740. *n.* 6. & omnia, quæ ad rectum provinciæ regimen ſpectant, Archiepiſcopi diſponere valent, *can.* 34. alias 35. Apoſt. Concilium Nicænum *can.* 61. Antioch. *can.* 9.

10 De ſubditis ſuffraganeorum. Nec ſolum in ipſos Suffragneos, verum etiam in eorum ſubditos Archiepiſcopi juriſdictionem exercent in certis caſibus a jure expreſſis, & aliis conſuetudine, aut privilegio introductis, ut in præſenti textu docetur. Primus caſus eſt, cum querela coram Archiepiſcopo proponitur a ſubdito ſuffraganei contra ipſum Epiſcopum. Concil. Sardic. *can.* 14. Carthag. 6. *can.* 6. Afric. 2. *can.* 101. Aurelian. 5. *can.* 7. Tolet. 3. *can.* 20. Tolet. 7. *can.* 3. Tolet. 9. *can.* 1. Tolet. 13. *can.* 1. Synodus 8. Generalis *can.* 26. Secundus eſt, cum per appellationem interpoſitam a ſententia ab Epiſcopo prolata provocatur Archiepiſcopus, *c. ad reprimendam* 8. *hoc tit. c. dilectis, c. cauſam, c. ſolicitudinem, de appell. c. per tuas, de ſentent. excomm. c.* 1. *de foro compet. lib.* 6. *c. Romana, de appell. eod. lib. c. ut litigantes, hoc tit. in* 6. *c. venerabilibus, de ſentent. excomm. eod. lib.* quarum cauſarum ratione ſolent Archiepiſcopi habere tribunal erectum in aliqua diœceſi ex comprovincialibus. Tertius caſus evenit cum negligentes ſunt ſuffraganei in adminiſtratione juſtitiæ ſubditis propriis: tunc enim eorum negligentiam Archiepiſcopus ſupplere debet. Synodus Nicæna 2. *can.* 11. Tolet. 8. *can.* 8. & Tolet. 11. *can.* 4. Innocent. III. *l.* 1. *epiſt.* in codice Colonio edito a Sirleto *folio* 88. Unde negligente Epiſcopo in conſtitutione œconomi, illum Archiepiſcopus conſtituit, *c. cum ſimus* 9. *quæſt.* 3. & eo negligente circa collationem beneficiorum, ſimul cum Capitulo Archiepiſcopus confert, *c. licet, c. fin. de ſupplend. negligent.* & eo negligente abſolvere excommunicatum, Archiepiſcopus illum abſolvit, *c. ad reprimendam, hoc titul.* ubi dixi, niſi negligentia excuſabilis ſit, ut in ſpecie textus *in c.* 1. & 3. *de ſupplend. neglig.* vel niſi actus qui deſideratur, pro forma deſideretur; tunc enim negligentia Epiſcopi poteſt ſuppleri per Archiepiſcopum *cap. penult.* ubi Gloſſa *verbo Mandantibus, de re judicata lib.* 6. juxta quam limitationem accipiendus eſt textus *in cap. nullus, de jurepatron.* juncto Cæſare *de Eccleſiaſt. Hierarch. dict. diſp.* 5. §. 2. *num.* 23. Quartus caſus contingit, cum Archiepiſcopus viſitat ſuam provinciam, quam viſitare tenetur, *c. cum ex officiis, de præſc. c. cum nuper, de cenſibus, c.* 1. *eod. tit. lib.* 6. in ipſo enim actu viſitationis poteſt Archiepiſcopus animadvertere in ſubditos ſuffraganeorum, nulla etiam data negligentia in ipſis ſuffraganeis, *dict. c.* 1. *de cenſibus*; licet hodie non poſſint Archiepiſcopi viſitare provinciam, niſi ex cauſa in Concilio provinciali approbata. In aliis etiam caſibus ſpecialibus poteſt Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganeorum animadvetere, ut ſi hæreſis per ſuam provinciam graſſari incipiat, *c.* 3. §. *adjicimus, c. excommunicamus de hæreticis*: vel ut ſimoniæ vitium extirpet, *c. dilectus, el* 2. *de ſimonia*; vel ut vitetur ignorantia divini juris. Concilium Toler. 8. *can.* 8. Tolet. 11. *can.* 2. Arelaten. ſub Carolo, *can.* 8. Item poſſunt animadvertere in eos, qui aliquid ex bonis Epiſcopi decedentis expilaverint, aut celaverint. Concil. Valent. Hiſpaniæ *can.* 3. Tolet. 9. *can.* 7. Trorleian. *can.* 14. item compeſcere quæſtuarios illigetimos per ſuam provinciam, *c. ex tuarum, de privileg.* Debet etiam Archiepiſcopus, cum opus fuerit, auctoritatem præſtare alienationi rerum Eccleſiaſticarum, *c. dudum de rebus Eccleſiæ, c.* 2. *de tranſactionibus*. Item cum conſtat de nimia negligentia ſuorum ſuffraganeorum in obeundis muneribus; ad quæ ratione ordinis, vel lege juriſdictionis, aut diœceſana tenentur; quia tunc juriſdictio ad Archiepiſcopum devolvitur, *c. Romana*, §. *ſane, de cenſibus, lib.* 6. *c. Romana, de pœnis, eod. lib.* 11. *tit.* 5. *partit.* 1. Proſequuntur alios caſus Paz *in praxi*, 2. *tom. præl.* 2. *n.* 14. Gratianus *lib.* 1. *diſcep. c.* 169. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 33.

Quibus ita præmiſſis, ratio hujus deciſionis ex eo provenit, nam cum confundatur Eccleſiaſticus ordo, ſi unicuique propria non ſervetur juriſdictio, *c. pervenit* 11. *q.* 3. junctis traditis in commentario antecedenti; & bono publico, ſalutique animarum maxime expediat, ne in Eccleſia alienus ſubditus ab extraneo judicetur Prælato; non enim æque bene per alienos, ac per proprios judices ſubditis conſulitur; & Patriarchis, atque Archiepiſcopis certis tantum in caſibus permiſſum ſit de cauſis Suffraganeorum cognoſcere; ideo in aliis procedere non poſſunt, ne, ut dixi, confundatur ordo hierarchicus, & diſciplina Eccleſiaſtica contemnatur; nam cauſæ omnes quoad primam inſtantiam coram Ordinariis locorum tractandæ ſunt. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 20. ubi plures Barboſa, Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Salgado *de ſupplic.* 2. *par. fere per totam*. Unde non poſſunt Primates, ſeu Archiepiſcopi compellere ſubditos ſuffraganeorum ad ſuſcipiendam juriſdictionem delegatam, *c. paſtoralis, hoc tit.* nec etiam ipſos ſubditos ſuffraganeorum ad teſtimonium perhibendum cogere, ut late probat Hallerius *de hierar. juriſd.* ubi ſupra, *pag.* 500. niſi contrarium conſuetudine, aut privilegio introductum reperiatur; cum enim conſuetudine, aut privilegio acquiratur juriſdictio, *c. cum contingat, de foro comp., c.* 1. *eod. tit. in* 6. *c. conſuetudinis* 3. *de conſuet. l.* 6. ideo ſi conſuetudine, aut privilegio Archiepiſcopi utantur, poſſunt ultra caſus ſupra enumeratos de cauſis ſubditoram ſuffraganeoram cognoſcere. 11 Traditur ratio decidendi.

Nec obſtat prima difficultas pro dubitandi ratione perpenſa; verum enim eſt, Primatem in toto ſuo Primatu, Archiepiſcopum in propria provincia habere juriſdictionem in habitu, non vero in actu immediate, niſi in caſibus ſupra enumeratis, conſuetudine, aut privilegio introductis; habent enim Archiepiſcopi poteſtatem in univerſa provincia, ſed non in particulares ipſius provinciæ, qui ſubſunt juriſdictioni privatæ immediatæ ſuffraganeorum. Nec etiam adverſatur primum argumentum prædictæ difficultatis, quia licet certum ſit, quod ſi vinco vincentem te, a fortiori vinco te; illud principium procedit ubi militat eadem ratio, & juris abſurdum ſequitur, ut docent Pax *ubi ſupra, prælud.* 1. *n.* 17. Petrus Greg. *in c. conquerente, c.* 12. *n.* 12. *hoc tit.* licet enim Epiſcopi pareant Archiepiſcopis, non tamen ſubditi Epiſcoporum ſunt in eorum poteſtate eodem genere juriſdictionis, propter ejus diſtinctionem, quam ſupra expoſui: neque ullum ſequitur abſurdum ex eo, quod Archiepiſcopus habeat juriſdictionem Metropoliticam in tota provincia, non autem obtineat Epiſcopalem in ſubditos ſuffraganeorum; ſicut nec eſt abſurdum, ut ſubditus mei ſubditi ſubditus meus non ſit, ex ratione legis. Modeſtinus 105. *ff. de V. S.* Vulgare enim juris dicterium ſupra adductum habet locum in eodem genere poteſtatis; non vero in diverſo: unde diœceſani ſubſunt Epiſcopo Epiſcopali juriſdictione; Epiſcopi vero proprio Metropolitano Archiepiſcopali: ideo non ſequitur ſubditos Epiſcoporum parere Archiepiſcopis eodem genere ſubjectionis, ſeu poteſtatis. Nec obſtat ultimum argumentum ipſius difficultatis; nam licet Apoſtoli, & eorum ſucceſſores a Romana politia, & Magiſtratuum diviſione magna in parte mutuaſſent formam conſtituendi Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos; non tamen in omnibus, & per omnia ſecuti fuerunt modum, & formam Romanæ Reipublicæ, ut probat late Fileſacus *in præſenti*, §. 2. Unde non valet argumentum a juriſdictione Magiſtratuum populi Romani ad noſtros Magiſtratus Eccleſiaſticos jure Eccleſiaſtico inſtitutos. 12 Diſſolvitur prima difficultas.

Neque adverſatur ſecunda difficultas ſupra adducta, cui ut ſatisfaciat Cæſar *de Eccleſiaſt. hierar. diſp.* 5. §. 2. exiſtimat, diſcrimen eſſe conſtituendum inter conſuetudinem illam, qua juriſdictio protrahitur ultra caſus a jure expreſſos; & inter eam, per quam in caſu appellationis, & ceteris, qui jure ordinario ad Archiepiſcopum ſpectant, protrahitur juriſdictio ultra illos caſus: in prima parte conſuetudinem non admitti, *c. cum ſatis, de officio Archidiac.* quia per talem conſuetudinem offenduntur regulæ SS. PP. de quibus *in c. nullus* 9. *quæſt.* 3. *c.* 1. 2. & *per totam* 9. *q.* 3. in ſecunda vero diſtinctionis parte conſuetudinem admitti, & eo caſu procedere textus *in c.* 1. *de foro compet. l.* 9. *c. ut litigantes, hoc tit. eod. l.* Sed hæc diſtinctio convincitur ex eo, nam in caſibus, in quibus Archiepiſcopus juriſdictionem exercet in ſubditos ſuffraganeorum, fruſtra conſuetudo deſideratur: igitur ſi conſuetudo aliquid operatur circa juriſdictionem Archiepiſcopi in prædictos ſubditos, maxime in caſibus, in quibus jus non permittit Archiepiſcopum cognoſcere: quare hac ſolutione omiſſa dicendum eſt, conſuetudinem, ſeu privilegium poſſe juriſdictionem tribuere Archiepiſcopis extra caſus, in quibus jus illis concedit juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, cum conſuetudo poſſit præſtare juriſdictionem eam non habenti, *c. conqueſtus* 9. *q.* 3. *d. c. cum contingat, c. dilecti, de arbitris, c. irrefragabilis*, §. *excep. hoc tit.* Covarr. *in regula poſſeſſor*, 2. *par.* §. 3. *n.* 1. Navarrus *in c. placuit, n.* 31. *de pœnit. diſt.* 7. Aviles *in capitulis* 13 Reſpondetur ſecundæ difficultatis.

Prætorum, verbo Noſtrum, n. 7. Pax *in praxi, tom.* 2. *prælud.* 2. *n.* 55. Nec tunc obſtat difficultas ſupra adducta; certum enim eſt, conſuetudinem ſacris canonibus contrariam, irrationabilem præſumi; interim tamen ſi hæc præſumptio ceſſet propter juſtam cauſam quæ de novo emergat, juſta, & legitima cenſebitur, quamvis directe contraria ſit ſacris canonibus; quia cum leges Pontificiæ humanæ ſint, pro varietate temporum mutantur, *c. non debet, de conſanguinit. & affinit. c. ult. de conſuet.* Unde conſuetudine legitime præſcripta poterit Archiepiſcopus extra caſus a jure expreſſos de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere; quod facile evincit textus præſens in illis verbis: *Et priſca illi conſuetudo contulit, c.* 1. §. 1. *de foro compet. l.* 6. *c. & quod dicitur, hoc tit. in* 5. *collectione*; in quibus potius approbatur hæc conſuetudo, quam rejicitur.

14 Exponitur c. 3. de foro compet. Sed adhuc ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. ſane* 3. *de foro compet.* ubi ſtatuitur a Patribus Concilii Africani, ut ſi duo Epiſcopi diverſarum provinciarum inter ſe litem habuerint, ille Primas det judices; in cujus territorio eſt locus, de quo contenditur. Ex quo brevi canone duplex adverſus ſupra tradita inſurgit difficultas. Prima videlicet, quomodo cauſa Epiſcoporum diſceptetur coram Primate, omiſſo Metropolitani judicio, contra præſentem deciſionem. Secundo, ſi Primas illius provinciæ, ubi eſt locus, de quo contenditur, judex competens eſt, & de cauſa cognovit; quare tantum dat judices, non autem ſententiam definitivam in ipſa cauſa profert, contra textum in lege *cum Prætor* 12. *ff. de judiciis*. Pro cujus textus ſolutione Cæſar *de Eccleſ. Hierar. diſput.* 4. §. 4. & *diſput.* 5. §. 2. affirmat, textum illum procedere in ſecunda inſtantia, cum videlicet appellatum eſt a ſententia Archiepiſcopi; tunc enim quia gradatim ad ipſum Primatem appellatur, de cauſa jure cognoſcit; ideo autem eum judices dare, quia cum eſſent in diverſis, longinquiſque provinciis, commode adire non poterant ipſum Patriarcham, ſed cum magno ſalutis, & expenſarum diſpendio. Sed hæc ſolutio nullo modo convenit verbis, & menti ipſius textus; ſiquidem in eo potius de prima, quam ſecunda inſtantia agitur. Quare hac omiſſa ſolutione, verius dicendum eſt, in eo textu agi de provinciis Eccleſiæ Africanæ, ubi ad juſtas, rationabileſque cauſas in uſu fuerunt certi judices electi, ſeu electitii, qui a Primate ex partium conſenſu dabantur, de quibus *in c.* 1. *de arbitris*, ubi late dicemus; ut enim appellationibus via præcluderetur, in quibus proſequendis Africani infeſti admodum, & moleſti erant, ut provocandi occaſio vitaretur, ſtatutum fuit a Patribus Eccleſiæ Africanæ, ut ſi diverſarum provinciarum Epiſcopi cauſam inter ſe habuerint, Primas ille det judices, in cujus provincia eſt locus, de quo contenditur, a quibus appellare non licebat, *c. a judicibus*, 2. *quæſt.* 6. Cironius *lib.* 2. *obſerv. c.* 2. Anton. Capella *ad appell. Eccleſiæ Afric. c.* 4. De ipſis etiam judicibus accipiendus eſt textus *in c.* 1. 4. *q.* 5. qui alias difficilem valde reddit noſtri Innocentii deciſionem.

Secundo adverſatur ſuperiori aſſertioni textus *in can.* 138. *Concilii Africani*, in illis verbis; *Decreta Nicæna, ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſime commiſerunt*. Ex quibus aperte deducitur, Archiepiſcopos, omiſſis ſuffraganeis, poſſe eorum ſubditos judicare, & condemnare: igitur quia Archiepiſcopi de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere valeant. Huic difficultati duplici modo ſatisfieri poteſt. Primo aſſerendo, textum illum exaudiendum eſſe de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum in ſecunda inſtantia. Secundo aſſerendo, textum illum procedere in Eccleſia Africana, in qua depoſitiones clericorum reſervatæ erant Metropolitanis, ut ex epiſtola 226. D. Auguſtini probat Hallierius *l.* 4. *de juriſd. hierarch.* §. 4. *pag.* 487. unde ſenſus prædicti canonis erit, cognitionem criminis depoſitione digni Metropolitanis ſacros canones commiſiſſe. 15 Explicatur c. 138. Concilii Africani.

Obſtat etiam textus *in c. ex frequentibus, de inſtitutionibus*; cujus interpretationem in ejus notis dabimus.

C A P U T X.

N. a *Turonen. Archiepiſcopo.*

QUod *b* Sed. Apoſt. conſulis ſuper iis, quæ dubia tibi exiſtunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur merito commendanda; cum lex divinæ *c* conſtitutionis eamdem Sedem totius poſuerit orbis terrarum *d* magiſtram: ut quidquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem ejus ratio requiratur. Nos ſiquidem decreviſti provide conſulendos, utrum ſi forte aliqua infirmitate, vel alia juſta cauſa detentus aliquem ſuffraganeorum tuorum conſecrare non poſſes, alicui Coepiſcoporum tuorum vices tuas licitum committere tibi eſſet; & utrum electus, qui pro conſecratione inſtaret, ab eo cui vices tuas taliter commiſiſſes, deberet licite conſecrari. In quo tale damus conſult. t. reſponſum, quod in tali articulo conſtituto, & tuas vices, ut dictum eſt, tibi committere licet, & conſecrandus munus debet ab eo conſecrationis accipere, cui eas duxeris committendas, dummodo *e* catholicus habeatur, & impedimentum ex ſubtractione gratiæ *f* Sed. Apoſt. non obſiſtat. Datum Laterani XVI. Kal. Junii.

N O T Æ.

1 a TUron.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de parochiis, c.* 4. & in epiſtolis Innocentii III. correctis a Sirleto, *pag.* 441. De Turonenſi Eccleſia aliqua notavi *in c. ad aures* 8. *de temporib. ordin.* Hæc deciſio miſſa eſt Juello de Mateſellon Archiepiſcopo Turonenſi, qui in ea Eccleſia floruit temporibus noſtri Innocentii.

2 b *Quod ſedem.*) Ita etiam exorditur Pontifex *in c. quod ſedem, de decimis, c. quod ſedem, de regularibus, c. quod ſedem, de frigidis*.

3 c *Conſtitutionis.*) Quando videlicet Chriſtus Dominus dixit B. Petro apud Matthæum *c.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et apud Lucam *c.* 22. *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua*. Unde nihil uſitatius omni ævo in Eccleſia, quam ut ſi quid fidei religionive congruum eſſet ſtatuendum, ambiguumve decidendum, Apoſtolica Sedes conſuleretur. B. Leo *ep.* 89. ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ: „ Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus (ideſt Epiſcopis,) innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.

d *Magiſtram.*) Ut probavi *in c.* 1. *in fine, de ſumma Trinitate*.

4 e *Catholicus.*) Catholici nomen cœpit in Eccleſia, cum hæreſes pullularunt; nam ut diſtinguerentur baptizati retinentes veram, & orthodoxam fidem, ab illis qui in hæreſim aliquando lapſi, aut relapſi fuerant, Catholici dicebantur, ut ſic certa quaſi teſſera fidei puri fideles ab adulterinis ſecernerentur; ſed ſtatim & ipſi hæretici illud nomen uſurparunt. Lactantius *l.* 4. *de vera ſapientia, in fin.* “ Singuli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, *D. Auguſt.* ep. 68. Unde cœperunt Chriſtiani uti his nominibus, Catholici Chriſtiani. *Concilium Laod.* can. 31. *Agat.* can. 67. Ne quis hæreticis filias ſuas in matrimonium det, niſi hi ſe Chriſtianos catholicos futuros eſſe profiteantur. *Concil. Carthag.* 3. can. 3. Ut Epiſcopi, vel clerici in eos, qui catholici chriſtiani non ſunt, ideſt, qui ſunt hæretici, licet conſanguinei fuerint, aliquid rerum ſuarum nec per donationem, nec per teſtamentum conferant. *Concilium African.* c. 3. Ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi non ordinentur prius quam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint. „ Carthag. 4. *can.* 43. *l.* 2. *C. Theodoſ. de fide Catholica*. Plura adducit Fileſacus *in Præſenti*, §. 5. Unde Epiſcopus Catholicus in præſenti accipitur pro Orthodoxo hæreſi non maculato. De antiquitate cognominis Catholici in Magnis Hiſpaniæ noſtræ Monarchis videndi ſunt Sahabedra *in Corona Gothica, c.* 15. Valdes *de dignit. Regum Hiſpaniæ*.

f *Gratiæ Sedis Apoſtolicæ.*) Ideſt, non ſit ſchiſmaticus, aut excommunicatus; illi enim non poſſunt Ordines conferre, ut probavi *in c.* 2. *de ſacram. non iterand. c. cum bonæ, de ætat. & qualit.* Ex hoc textu deducitur, ex commiſſione, & delegatione Archiepiſcopi poſſe ſuffraganeum conſecrare Coepiſcopum: quod quomodo procedat, expoſui *in c. ſi Epiſcopus, de temporib. ordin. c. ſuffraganeis* 11. *de elect.* Illud tantum in præſenti notandum venit, Archiepiſcopum committentem conſecrationem Epiſcopi, debere eam delegare Coepiſcopo antiquiori ipſius provinciæ. Conſonat Leo Magnus *ep.* 89. *ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ*, ubi aſſerit, committendam eſſe conſecrationem Epiſcopo illi, qui ceteros ſacerdotii, ideſt antiquitate Epiſcopatus præcellit. 5

C A P U T XI.

Idem *Epiſcopo* a *Helienſi.*

PAſtoralis officii. *Et infra:* Ex parte tua fuit inſuper requiſitum, utrum ſi aliqua cauſa fuerit ad Archiepiſcopum per appellationem delata, poſſit eamdem jure ordinariæ poteſtatis ſuffraganei ſui ſubdito delegare, vel animadvertere in eumdem, ſi cauſam renuerit ſuſcipere delegatam. Ad quod utique reſpondemus, quod Archiepiſcopus ipſum ad ſuſcipiendam delegationem hujuſmodi compellere nequit *b* invitum, cum in eum, exceptis *c* quibuſdam certis articulis, nullam habeat poteſtatem, licet Epiſcopus ſuus eidem ſit *d* Metropolitica lege ſubjectus. *Et infra:*

NO-

BIBLIOTECA CENTRAL

NOTÆ.

1 a HElienſi.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 5.* Ad hujus inſcriptionis expoſitionem repetenda ſunt quæ adduxi *in c. Paſtoralis, de reſcriptis.*

b *Nequit invitum.*) Sed quare ſi Archiepiſcopus poteſt delegare, & cauſam ſuffraganeo committere, non poteſt compellere ipſum ſuffraganeum juriſdictionem acceptare; cum omnis delegatus, qui poteſt ſubdelegare, poſſit ſimul ſubdelegatum compellere juriſdictionem acceptare, *c. Paſtoralis*, ubi eſt alia pars hujus textus, *de officio delegati*. Sed reſpondendum eſt, *in d. c. Paſtoralis* 28. agi de delegato Principis ſubdelegante; in præſenti vero deciſione de Archiepiſcopo, ad quem provocatum fuerat, inter quos magna eſt differentia. Delegatus enim, cum in cauſa ſibi commiſſa major ſit quocumque Ordinario, *c. ſane, de officio delegati, c. fin. 39. diſt. c. 1. 94. diſt.* ſi alii ipſam cauſam ſubdelegaverit, poteſt eum compellere juriſdictionem acceptare, *d. c. Paſtoralis*: facit lex *Prætor, §. qui autem, ff. de vacatione munerum, l. fin. §. judicando, ff. de muner. & honor.* junctis tradictis a Petro Greg. *l. 5. partit. 5. c. 4.* Moneta *de commut. c. 8. n. 561.* Archiepiſcopus vero nequit ſubditum ſuffraganei ſui invitum cogere acceptare juriſdictionem delegatam. Ratio eſt, quia Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganei, niſi in certis caſibus juriſdictionem non habet, ut ſuperiori commentario probavi: & cum caſus iſte non enumeretur inter eos, quos ſupra retuli; ideo Archiepiſcopus licet poſſit cauſam ad ſe per appellationem devolutam ſubdito ſuffraganei delegare, & committere; tamen ipſum renuentem juriſdictionem acceptare, compellere nequit.

2 c *Quibuſdam articulis.*) Quos recenſui & expoſui ſuperiori commentario. Et ex hoc textu deducit Tapia *tom. 1. caten. moral. lib. 4. qu. 26. art. 2.* Metropolitanum non poſſe diſpenſare in legibus, vel præceptis Suffraganeorum.

3 d *Metropolitana lege.*) Quæ circa varia verſatur, adeo ut Epiſcopi de rebus gravioribus abſque conſcientia Metropolitani nihil diſponere poſſint, ut late probant Fileſacus *in præſenti, §. 1.* Cæſar *diſp. 5. §. 2.* Anton. Auguſt. *in epitom. juris Pontif.*

§.

PRæterea poſtulaſti, an alicui liceat ſine ſpeciali mandato Apoſt. Sed. delegato, qui reum propter contumaciam manifeſtam excommunicationis vinculo innodavit, vel petitorem cauſa rei ſervandæ in poſſeſſionem petitorum induxit, rebus humanis exempto, eidem volenti juri parere, abſolutionis beneficium impertiri, vel poſſeſſionem reſtituere intra annum, ſufficienti recepta primitus cautione. Ad quod utique dicimus, quod cum delegatus, quantum ad illud ſit major *a* ordinario, ſine mandato ſummi Pont. excommunicatus ab hujuſmodi delegato, non poteſt per alium, præterquam in mortis articulo, abſolutionis gratiam obtinere, niſi forſan delegatus talis exstiterit, cui alius *b* ſuccedat in onere, ac honore; nec per alium, quam per ſummum Pontif. recuperare poterit poſſeſſionem amiſſam. Verumtamen ne alius poſt annum verus efficiatur *c* poſſeſſor, coram Ordinario, vel ſi ejus copiam habere nequiverit, coram publicis, & honeſtis perſonis, ut quaſi præſcriptionem interrumpant annalem, offerre, ac præſtare, quod juri parebit, poterit cautionem, ut ſic poſt annum recuperare poſſeſſionem per *d* Sed. Apoſt. mereatur.

NOTÆ.

1 a MAjor Ordinario.) *Cap. ſane*, ubi late hoc principium expoſui, *de off. deleg.*

b *Cui alius ſuccedat.*) Facta videlicet delegatione ſub nomine dignitatis, ut late probavi *in c. quoniam 14. de off. deleg.* & hoc caſu Capitulum quod ſuccedit Prælato in juriſdictione ordinaria, non ſuccedit in hac delegata. Panninus *de poteſt. Capit. part. 1. quæſt. 10.* Sbrozius *de officio Vicarii lib. 1. quæſt. 36. num. 1. & lib. 2. quæſt. 135. num. 4.* Barboſa *lib. 1. juris eccleſ. cap. 32. num. 58.* Solorzanus *t. 2. de jure Indiar. l. 3. c. 13. a n. 4.* Botiller. *de ſucceſſ. c. 2. theorem. 64. n. 6.*

2 c *Efficiatur poſſeſſor.*) Hæc verba late illuſtrabimus *in c. quoniam, ut lite non conteſt.* ubi de primo, & ſecundo decreto commentarium dabimus.

3 d *Per Sedem Apoſtolicam.*) Hinc deducunt DD. quod cauſa, quæ ſemel delata eſt ad Curiam, non exit a Curia, niſi ſpecialiter committatur: probant plures relati a Barboſa *in præſenti, n. 12. & 13.* Valaſcus *conſult. 105. num. 102.*

CAPUT XII.

Idem *Archiepiſcopo* a *Senon.*

LIcet in corrigendis exceſſibus juxta canonicas ſanctiones appellationis ſit diffugium *b* interclusum, & ideo ven. f. noſter *c* Pariſien. Epiſcopus a nobis recepit in mandatis, ut tam circa monachos, & alios viros religioſos, quam etiam clericos *d* ſæculares ſuæ juriſdictioni ſubjectos, qui multa gravia committere proponuntur, quæ cedunt non ſolum in animarum diſpendium, ſed etiam ſcandalum plurimorum, inquirat & corrigat ap. *e* rem. quæ viderit corrigenda, ſtatuens ad reformationem eorum, quod regulare fuerit, & honeſtum: quia tamen intentionis noſtræ nec fuit, nec eſſe debuit juriſdictioni tuæ per mandatum hujuſmodi derogare, auctoritate præſentium duximus declarandum, quod ſi forſitan in inquiſitionibus ab eodem Epiſcopo non tamquam delegato, ſed tamquam ordinario faciendis, aliquis caſus emerſerit, in quo licitum ſit ad Sedem Metropoliticam appellare, prædicti occaſione mandati auctoritati tuæ, quominus ad te, tamquam ad Metropol. appellari valeat, nolumus aliquatenus derogare. Tu tamen nec impedias per te ipſum, nec per alios facias impediri, quominus idem Epiſcopus in corrigendis exceſſibus ſubditorum officii ſui debitum exequatur; & ſi forſan in caſu conceſſo ad te fuerit appellatum, in appellationis cauſa prudenter, & juſte procedas.

NOTÆ.

a SEnonenſi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 6.* De Eccleſia Senonenſi aliqua notavi *in c. 1. de reſcriptis*. Hæc epiſtola miſſa eſt Petro de Corbelio Senonenſi Præſuli, de cujus poſtulatione extat epiſtola decretalis Innocentii III. *in cap. de poſtulat. Prælat.*

b *Interclusum.*) Ut in ſequenti commentario late probabimus.

c *Pariſienſis Epiſcopus.*) Gullielmus de Caſtro videlicet, primo Altiſſiodorenſis Epiſcopus, qui fuit magnus eccleſiaſticæ libertatis vindex, ut refert Chenu in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ.

d *Sæculares.*) Appoſite ita appellantur, ut diſtinguantur a regularibus, cum quibus conjunguntur.

e *Appellatione remota.*) Vim & effectum hujus clauſulæ adduxi *in c. 1. de reſcriptis.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio refertur, & probatur. EX hac epiſtola decretali talis deducitur aſſertio; *Judex ordinarius; cui cauſa committitur, cujus cognitio ad ipſum jure communi ſpectabat, non ideo efficitur delegatus, ſed tantum ejus juriſdictio excitatur.* Probant textus *in c. ſignificaſti 4. de corpore vitiatis, c. cum aliquibus 4. de reſcriptis, l. 6. l. ſæpe 8. ff. de offic. Præſidis.* Conſonat lex 4. *tit. 6. l. 2. recopil.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti, & de poteſt. Epiſc. alleg. 92. per totam,* Parlador. *l. 2. rerum quotid. p. 3. c. fin. §. 3.* Ludovicus de Avendan. *de ſyndicatu, n. 20.* Moneta *de commut. ult. volupt. c. 7. n. 4.* Fileſacus *in præſenti,* Aviles *in Capitulis Prætorum, c. 9.* Gloſſa *verbo Communio, n. 2.* Tiberius Decianus *t. 1. tr. crim. l. 4. c. 25. n. 16.* Hevia *in Curia Philippica, 1. p. c. 2. §. 4.* Salgado *de protect. p. 4. c. 3. n. 107.* Sahagun, & omnes veſpertini noſtri Anteceſſores *in c. 1. de offic. deleg.* Noguerol *alleg. 15. n. 7.* Anſaldus *conſil. 36.*

2 Traditur ratio dubitandi. Sed in hanc aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti juris conſideratione: Fruſtra precibus impetratur, quod jure communi conceditur, *l. unica, cum vulgatis, C. de theſauris, l. 10.* igitur ſi jam judici ordinario, ut ordinario, competebat poteſtas corrigendi ſubditos proprios, fruſtra nova delegatio deſideratur, ut eos in præſenti ſpecie corrigere valeret. Secundo adverſus hanc aſſertionem ſic argumentor. Certum juris principium eſt, quod quoties judici ordinario cauſa committitur, cujus cognitio ad ipſum in totum, aut pro parte non ſpectabat, ex ordinario fit delegatus, & tamquam delegatus procedit; *c. ad abolendam, §. ult. de hæreticis, c. hi qui 12. de præb. l. 6. c. 1. §. ult. de ſtatu regul. eod. l. Clem. 2. de ſtatu monach. Clem. 1. de ſuppleud. neglig. c. ad hæc, c. patentibus, c. tuæ, de privil.* Docent Fachineus *l. 1. controv. c. 45.* Garcia *de benefic. 5. p. c. 7. n. 48.* ſed in præſenti textu commiſſa fuit Epiſcopo Pariſienſi correctio in regularibus, in quos juriſdictionem ordinariam non habebat, ſiquidem religioſi jam a temporibus Gregorii Magni exempti fuerant a juriſdictione, & lege diœceſana, *c. nullum, c. Abbates, §. 1. 18. q. 2. c. quam, c. luminoſo, ead. q. c. quanto,* ubi plura Fileſacus, *hoc tit.* igitur ſaltem, quoad regulares Epiſcopus Pariſienſis, non ordinarius, ſed delegatus judex erat. Augetur hæc difficultas ex eo, nam quoties juriſdictio ordinaria per delegationem alteratur, aut mutatur, quia augetur, vel minuitur, aut aliqua clauſula adjicitur, veluti, ut ſine ſtrepitu judiciario procedatur, vel appellatione remota, ordinarius judex fit delegatus, *c. 1.* juxta communem interpretationem, *de offic. deleg.* Parladorius *d. c. fin. §. 3.* ſed in præſenti caſu correctio commiſſa fuit Epiſcopo Pariſienſi cum clauſula, *Appellatione remota*, ut ex textus ſerie conſtat; ergo non ordinarius, ſed delegatus judex manet.

3 Traditur decidendi ratio. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio provenit ex eo; nam cum Epiſcopo Pariſienſi competeret jure proprio juriſdictio in ſubditos, *c. 1. c. conquerente, c. irrefragabili, hoc tit.* ſi ea correctio per reſcriptum Apoſtolicum committatur, non alteratur juriſdictio, ſed excitatur, ne Archiepiſcopo præjudicium fieret; ſi enim juriſdictio delegata maneat, appellandum eſt in caſibus, in quibus a correctione appellari poteſt, quos referam commentario ſequenti, ad Archiepiſcopum immediatum ſuperiorem, *c. ſi duo, hoc tit.* ſi autem tamquam a delegato appellatur, ad ſummum Pontificem appellatio interponenda eſt, *cap. ſuper, §. porro, de officio deleg.* ſed Pontifex per reſcriptum non vult alteri præjudicium inferre, niſi id ſpecialiter exprimat, *c. ex tuarum, de auctoritate & uſu pallii.* Recte ergo in præſenti Innocentius decrevit per reſcriptum miſſum Pariſienſi Archiepiſcopo, cui correctio in ſubditos, tam ſæculares, quam regulares injungebatur, non concedi novam juriſdictionem delegatam, ſed tantum ordinariam excitari. Docent Vivianus & Fileſacus *in præſenti*, Barboſa *ubi ſup. alleg. 92.* Ludovicus de Avedanno *ſup.* qui notat in præſenti ſpecie judicem eſſe ſyndicandum, quia ut ordinarius procedit, non vero, ut delegatus. Inde Noguerol *d. alleg. 15.* docet judicem ordinarium, cui committitur executio ſententiæ, non fieri delegatum, ſed proprio jure eam exequi.

4 Diſſolvitur prima dubitandi ratio. Nec obſtat prima dubitandi ratio ſupra adducta; nam reſcriptum, de quo in præſenti ſpecie, non ſupervacuum, imo valde utile erat reſpectu clericorum, & tam ſæcularium, quam regularium, ad accipiendam & excitandam juriſdictionem ordinariam, ut diligentior, & vigilantior redderetur Pariſienſis Epiſcopus, atque exacte munus correctionis adimpleret, *c. grave, hoc tit. d. c. cum aliquibus, v. Si vero.* Reſpectu regularium admodum neceſſarium eſſe conſtat, quia illi exempti erant a juriſdictione ordinaria: unde niſi virtute delegationi Apoſtolicæ non poterat Ordinarius Pariſienſis eos corrigere, aut in ipſos animadvertere, ut infra dicemus. Nec ſecunda difficultas adverſatur, cui communiter repetentes in præſenti ſatisfaciunt aſſerendo, Epiſcopum Pariſienſem in præſenti caſu judicem ordinarium fuiſſe, tam clericorum ſæcularium, quam regularium, propter crimina graviora ab eis perpetrata, depoſitione digna; & per viam inquiſitionis contra omnes procedere poſſe, *ex c. ſi quis Abbas, c. Abbatem, c. novimus, c. monaſteria 18. q. 2. c. accedens, 50. d. c. de perſona 11. q. 1.* cum depoſitio, quam graviora crimina merentur, & expoſcunt, non niſi per Epiſcopum irrogari poſſit, *c. felix, c. Epiſcopus 15. q. 7.* & in hoc ſenſu in ipſis juris locis, & aliis cavetur, omnes monachos propriis Epiſcopi parere debere. Docent plures laudati a Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 105.* licet in modicis delictis a proprio Abbate, vel Priore, cui ſubjacent in his, quæ ad regulæ, & profeſſionis obſervantiam ſpectant, corrigendi ſint, ut probant textus ita accipiendi *in c. quanto, hoc tit. c. fin. de ſtatu monach. d. c. Abbates*, Docent P. Greg. *in c. conquerente, c. 11. num. 6.* Tambur. *de jure Abbatum, t. 1. diſp. 15. q. 1. & 2.*

5 Hujus textus vera interpretatio. Sed licet prædicta doctrina vera ſit, difficultatem tamen non diſſolvit: quare ea omiſſa jamdiu exiſtimavi alio modo prædictæ difficultati ſatisfieri poſſe ſupponendo, quod quando cauſa committitur judici, cui jure ordinario ejus cognitio competebat, ſed privilegiis exempta erat ab ejus juriſdictione, tunc per novam delegationem excitatur priſtina juriſdictio, & judex non delegatus, ſed ordinarius manet, ut probatur exemplis adductis *in Clem. 1. de teſtam. Clem. 1. de ſepult.* Trid. *ſeſſ. 5. de refor. c. 6. & 7.* facile enim quælibet res reddit ad ſuam naturam, argumento textus *in l. ſi ſine 20. ff. depoſiti*, junctis traditis a Cujacio *l. 22. obſerv. c. 30.* Unde cum jure communi inſpecto Epiſcopus Pariſienſis, ſicut quilibet Ordinarius haberet fundatam juriſdictionem in monachos propriæ diœceſis, *c. Abbates, c. monaſteria, 18. q. 2.* plura Germonius *de ſacrorum immun. l. 3. c. 4.* Boſquet. *ad Innoc. l. 1. ep. 7.* licet jam a temporibus Gregorii Magni exempti eſſent variis privilegiis, ut infra dicemus *in c. grave, hoc tit.* ideo per novam delegationem excitatur antiqua juriſdictio, & ordinario jure corrigit Epiſcopus exceſſus regularium. Nec augmentum hujus ſecundæ difficultatis obſtat; reſpondendum enim eſt fatendo, principium in eo expenſum procedere, cum appellatio remmittitur in cauſa, quæ ſua natura appellationem recipiebat: cum cauſa correctionis, de qua in hoc textu agitur, reſpuat appellationem, *c. ad noſtram, c. reprehenſibilis, c. cum ſpeciali, §. ceterum, de appell.* ut ſequenti commentario probabimus, niſi in correctione judex modum excedat, *c. de priore 31. de appell.* inde in præſenti deciſione clauſula, *appellatione remota*, non mutat juriſdictionis naturam, quia ipſo jure tacite ineſt, ſed quia Pariſienſis Epiſcopus modum correctionis exceſſerat inquirendo delicta, ſuper quibus nulla præceſſerat infamia, juxta textum *in c. cum oporteat, §. Inquiſitores, c. qualiter, in fine, de accuſat. c. licet, de ſimonia*, Sanch. *l. 6. conſil. c. 8. dub. 1.* ideo ab Epiſcopo Pariſienſi potuit appellatio interponi ad Archiepiſcopum Senonenſem.

6 Exponitur c. grave, hoc tit. Primo huic deciſioni adverſatur textus *in c. grave 19. hoc tit.* ubi cum per litteras Appoſtolicas commiſſa fuiſſet, & injuncta correctio ſubditorum Archiepiſcopo Suano, ipſe contra monachos de Orbitello Ciſtercienſis Ordinis proceſſerat: conſultus fuit Gregor. IX. qui reſcripſit, prædictum Archiepiſcopum non poſſe virtute delegationis in monachos animadvertere, quia ut ordinarius tantum ad correctionem procedebat: igitur ſimiliter in præſenti ſpecie tantum clericos ſæculares, non vero regulares Pariſienſis Epiſcopus corrigere poterat. Verum hujus textus mens, & genuina ratio ex ſupra traditis facile percipitur; in ejus enim ſpecie tantum commiſſa fuit correctio clericorum ſuæ diœceſis, quæ alias ad ejus juriſdictionem ſpectabat, *c. 1. 8. q. 2. c. 1. c. viſis 16. q. 2. c. 1. c. conquerente, hoc tit.* & ita cum mandata fuiſſet juriſdictio, quæ jure proprio illi competebat, non creatur delegatus, ſed tantum excitata juriſdictione procedit in cauſa correctionis: nec virtute juriſdictionis mandatæ poteſt contra exemptos procedere, ut docent Panormitanus, & Butrius *in c. 1. de offic. deleg. n. 5.* Parladorus *ubi ſup.* Moneta *de commut. d. c. 7. n. 12.* Unde cum correctio commiſſa tantum fuiſſet in ſubditos clericos, ut conſtat ex illis verbis, *ſuper correctione clericorum*, ideo non poteſt in religioſos animadvertere.

7 Intelligitur c. cum aliquibus 4. de reſcriptis. Secundo ex ſupra adductis lucem accipit textus *in c. cum aliquibus 4. de reſcriptis, l. 6.* ubi Bonifacius VIII. decreverit, quod ſi Pontifex Epiſcopo juſſerit, ut aliquem in canonicum recipiat, ſi alias ad eum collatio præbendarum in ipſa Eccleſia non ſpectat, qui in canonicum recipitur, auctoritate Apoſtolica receptus videtur; ſi vero præbendarum collatio ad ipſum pertinebat, non Apoſtolica, ſed Epiſcopi recipientis auctoritate cooptatus videtur. Quæ deciſio difficilis videtur ex eo, quod in omni caſu, ſive canonicorum receptio ad Epiſcopum ſpectet, vel non, dicendum erat, in receptione canonici procedere non ordinaria, ſed delegata auctoritate; quia cum ad eum collatio non ſpectat, ex vi reſcripti Apoſtolici, novam aſſequitur poteſtatem, quam ut Epiſcopus non habebat; cum vero ad eum ſpectat receptio ex hujuſmodi mandato, minuitur ejus ordinaria juriſdictio; quia licet Epiſcopus præbendam vacantem conferre poſſit, imo debeat, *c. relatum, de præb. c. 2. §. cum vero, c. relatum, 3. de conceſſ. præb.* non tamen illi, pro quo Pontifex reſcripſerat, cui ex vi mandati Apoſtolici præciſe tenetur Epiſcopus conferre illam præbendam; & per conſequens facultas conferendi præbendam coarctata videtur: quare cum juriſdictioni ordinariæ in hac parte detractum ſit, non propria, ſed Apoſtolica auctoritate Epiſcopus præbendam conferre videtur. Ut ab hac difficultate liberemur aſſerendum eſt, in eo textu agi de Eccleſia Cathedrali, in qua certus, & præſcriptus erat canonicorum numerus privilegio, vel ſtatuto a R. Pontifice confirmato, ſimulque mandatum Apoſtolicum Epiſcopo directum recipiendi aliquem in canonicum ultra numerum præſcriptum, non obſtante quocumque ſtatuto ejuſdem Eccleſiæ: unde quæſtio vertebatur, utrum ita in canonicum receptus auctoritate Apoſtolica, vel Epiſcopi recipientis videatur cooptatus; quod valde refert. Nam ſi auctoritate Apoſtolica recipitur, præfertur in præbendæ aſſecutione aliis quibuſcumque alterius auctoritate receptis, *c. hi, qui 12. de præb. l. 6.* & ſub fœdere diſtinctionis eam quæſtionem Bonifacius abſolvit, videlicet, quod ſi Canonicorum receptio ad Epiſcopum non ſpectabat, Apoſtolica auctoritate receptus videatur, quia virtute reſcripti novam recipit Epiſcopus auctoritatem, quam alias non habebat: ſi vero ad Epiſcopum pertinebat talis receptio, ordinaria auctoritate cenſetur receptus. Quandoque enim præbendarum collatio ad ſolum pertinet Epiſcopum, vel Capitulum tantum, vel Epiſcopum & Capitulum ſimul, *c. cum in Eccleſia, de elect. c. 1. ne ſede vacante, l. 6.* facit textus *in c. fin. de regular. eod. l.* & merito; nam per litteras Apoſtolicas non fuit ei præceptum, ut certam perſonam in Canonicum reciperet, ita enim ejus minueretur poteſtas ordinaria; ſed ut aliquem, quem vellet, in Canonicum reciperet ultra numerum, non obſtante Eccleſiæ ſtatuto; & ita per hujuſmodi reſcriptum receptio Canonici non inducitur, ſed impedimentum ſtatuti removetur, quo ſublato Epiſcopus proprio jure aliquem in Canonicum recipit: cum enim quis habet poteſtatem ſopitam, & ligatam aliquo impedimento, licet aliquis tertius obſtaculum tollat, actus qui geritur, ſumit effectum a prima cauſa, non ab illo, qui impedimentum amovit; quod ſequenti exemplo confirmo. Nam ſi quis ligatus pedibus, & manibus, ab alio ſolvatur, & ita ſolutus ſcribat, vel ambulet, licet hoc faciat miniſterio ſolventis, ipſe tamen operatur, non diſſolvens; ita in præſenti caſu ligata erat, & præpedita Epiſcopi poteſtas ſtatuto Eccleſiæ, & ſublato eo impedimento litteris Apoſtolicis, Epiſcopus Canonicum recepit auctoritate propria, ut docent in eo textu Geminianus *n. 6.* Ancharus *n. 4.*

8 Intelligitur c. hi qui, de præbendis l. 6. Sed adhuc ſupradictæ interpretationi opponi poteſt textus *in c. hi qui 12. de præb. l. 6.* ubi ſtatuitur, eum, qui ad mandatum Legati, vel alterius auctoritate Apoſtolica fungentis ſibi in hac parte ſpecialiter conceſſa recipitur in Canonicum, auctoritate Apoſtolica ſemper receptum videri: igitur ſimiliter *in d. c. 4. §. ſi vero, de reſcript. l. 6.* auctoritate Apoſtolica in Canonicum ſemper receptus creditur. Huic difficultati reſpondendum eſt *in d. §. ſi vero*, ſimpliciter mandatum fuiſſe Epiſcopo, ut aliquem in Canonicum reciperet ultra numerum in Eccleſia ſtatutum; quo caſu potius ejus poteſtas ordinaria excitatur, quam nova & delegata creatur: ſed *in d. c. hi qui*, Legato commiſſum ſpecialiter fuiſſe, ut auctoritate Apoſtolica conferret præbendam; & ideo mirum non eſt, ut Apoſtolica, & non ordinaria auctoritate Canonicus reciperetur, cum clauſula illa, *Auctoritate Apoſtolica*, mutet naturam poteſtatis ordinariæ, ut ex ultimis verbis textus *in d. c. cum aliquibus*, colligitur. Vel etiam reſponderi poteſt, textum *in d. c. hi qui*, procedere cum Lega-

Legato fuit injunctum, ut recipere facere impetrantem; quia tunc cum non ſit in Legati diſpoſitione, qui nullam prorſus habet facultatem, conferendi præbendam, per ſpecialem commiſſionem ſit delegatus, novamque facultatem aſſequitur, quam antea non habebat, *d. c. cum aliquibus*. Docent Menochius *l. 2. de præſumpt. præſumpt. 16. n. 29. & l. 1. de arbitr. q. 1. n. 7.* Vel denique dici poteſt, textum illum procedere in caſu, quo ſuper certa perſona recipienda reſcribitur; quia tunc mutatur ordinaria poteſtas, ſiquidem aufertur libera collatio illius beneficii, unde nihil mirum, ſi fiat delegatus; & ab eo receptus, auctoritate Apoſtolica receptus dicitur, ut docet Moneta *d. c. 7. n. 5.* Rurſus ſuperiori aſſertioni non leviter refragatur textus *in c. ſignificavit 4. de corpore vitiatis*, ubi aſſeritur, in irregularitate ex corporis vitio proveniente poſſe Epiſcopum diſpenſare auctoritate Apoſtolica, & etiam ſua, ut illa verba probant, *Auctoritate noſtra fretus, & tua*. Ex quibus non dubie colligitur, poſſe in eadem perſona, & delegatam, & ordinariam juriſdictionem concurrere, ita ut ſi Pontifex judici ordinario cauſam committat, & propria, & mandata juriſdictione uti poſſit: igitur etſi mandetur cauſa, cujus cognitio ad Epiſcopum ſpectabat, non ſolum propria juriſdictione excitata, verum & Apoſtolica procedere poteſt. Pro hujus textus ſolutione ita diſtinguendum eſt. Aut judici ordinarie cauſam proprio jure ad eum ſpectantem committit adjecta clauſula: *auctoritate Apoſtolica*; aut nulla ejus clauſulæ facta mentione: primo caſu, ut delegatum eum procedere; ſecundo vero tamquam ordinarium tantum, excitata ejus juriſdictione: unde evenire nequit, ut in una, eademque perſona ſimul exiſtat ordinaria, & delegata juriſdictio; ſiquidem per ſpecialem cauſæ delegationem mens Pontificis delegantis exprimitur, volentis ordinariæ juriſdictioni tamquam generali derogare, *l. ſtuduiſti, de offic. deleg. c. Paſtoralis, §. præterea, hoc tit.* Nec contrarium ſuadet textus *in d. c. ſignificavit*: nam omiſſa ſolutione Gloſſæ *in eo textu, v. Officium*, & verbo *noſtra*, aſſerentis irregularitatem, de qua in eo textu, tolli poſſe ab Epiſcopo, quoad officium ſacerdotale, veluti baptizandi, pœnitentiam injungendi, & faciendi alia ſimilia, quæ ſolis ſacerdotibus ſunt conceſſa, *c. adicimus 16. q. 1. c. conſtat, de conſecr. d. 4.* a Romano vero Pontifice, quod altaris miniſterium, quod in Miſſæ ſacrificio conſiſtit: aliqui exiſtimant, irregularitatem ex vitio corporis provenientem, quantumvis initium a juſta cauſa habuerit, veluti ſi quis credens ſe obſequium præſtare Deo, virilia ſibi fecerit amputari, non ab alio, quam a Romano Pontifice poſſe tolli, ſive ad officium ſacerdotale, ſive altaris miniſterium exercendum, *c. illiteratos, 36. d. c. non confidat, 30. d.* Innoc. *in d. c. ſignificavit, n. ſi.* Covarr. *in Clem. ſi furioſus, in princ. n. 7. de homicid.* unde illa verba, *Auctoritate noſtra fretus, & tua*, non ſunt accipienda ita, ut tam ab auctoritate propria, quam delegata poſſit Epiſcopus in ea irregularitate diſpenſare; ſed potius ita, ut diſpenſet auctoritate Apoſtolica, ac per conſequens ſua ſibi ſpecialiter commiſſa, & delegata electa ad hoc ejus perſonæ induſtria, ita ut non poſſit aliis ipſam diſpenſationem committere, *c. fin. §. fin. de offic. deleg.* & in hoc ſenſu affirmatur, in eo textu Epiſcopum auctoritate propria, & Apoſtolica diſpenſare, docent Panorm. *ibi n. 27.* Govar. *d. n. 7.* Sed verius dicendum eſt *in d. c. ſignificavit*, Epiſcopum diſpenſare poſſe cum irregulari ob corporis vitium auctoritate propria, quia vitium erat occultum; attamen quia præceſſerant Summi Pontificis conſultatio, & reſponſum, ideo in eo textu affirmatur Epiſcopum auctoritate propria, & Apoſtolica diſpenſare debere.

C A P U T XIII.

Idem *in Concilio* a *Generali*.

IRrefragabili conſtitutione ſancimus, ut Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maxime clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne ſanguinis eorum de ſuis manibus requiratur. Ut autem in correctionis, & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipſius nulla conſuetudo valeat impedire, niſi formam exceſſerint in talibus obſervandam: exceſſus tamen Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, qui conſueverunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſiis, quæ talem hactenus conſuetudinem habuerint, ad commonitionem, & juſſionem Epiſcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum, alioquin ex tunc Epiſcopus Deum habens pro oculis ipſos, ut animarum cura requirit, per cenſ. eccleſ. corrigere non poſtponat.

N O T Æ.

a GEnerali.) Ita etiam habetur in quarta collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* Concil. hoc Later. generale celebratum fuit ab Innoc. III. ut jam retuli *in c. nonnulli 27. reſcript.* In canone 7. ejuſdem Conc. reperiuntur hujus textus verba.

COMMENTARIUM.

1 Concluſio deducitur & probatur. EX præſenti canone ſequens deducitur aſſertio: *Prælati ſubditos proprios corrigunt appellatione remota, vel conſuetudine contraria non obſtante*. Probant eam textus *in c. ad noſtram, c. reprehenſibilis, c. cum ſpeciali, de appell. c. relatum 7. ne cler. vel monachi cap. quod conſultationem, de re judic. c. de priore, de appell.* Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 4.* Conſonat lex 40. *tit. 5. l. 2. recopil.* Illuſtrant plures congeſti a Barb. *in præſenti*, & *l. 1. voto 4. & de poteſt. Epiſc. alleg. 23. num. 36.* quibus addendi ſunt Thom. Sanch. *l. 6. in Decal. c. 3. num. 111.* Scaccia *de appell. q. 17. limit. 26. n. 8.* Lancel. *de attentat. 2. p. c. 12. limit. 18. n. 6.* plures congeſti a Valenzuela *conſil. 43. n. 118. & 119.* Salgado *de Regia protect. 1. p. c. 3. n. 10.* Fragoſo *de regim. p. 1. l. 8. diſp. 24. §. 9. n. 152.* Salcedo *de lege polit. l. 1. c. 12. num. 85.* Gibalin. *de clauſura regul. 2. p. c. 2. §. 3. conſect. 5.* P. Greg *l. 5. partit. tit. 15. c. 2. lit. N.* Pichard. *in manud. 4. p. præcept. 14.* Bruno Caſſaing *de privil. regul. tra. 3. c. 2. propoſ. 5. per tot.* Fermoſ. *in c. novit, q. 50. de judic.* Alteſerra *hic*.

2 Impugnatur hæc aſſertio. Hæc aſſertio impugnari poteſt ſequentibus juris ratiociniis. Primum naſcitur ex eo, nam appellationis remedium inventum eſt ad oppreſſorum defenſionem, & ut eis ſuccurratur, *c. omnis oppreſſus 2. q. 6. l. 1. & per tot. ff. de appell.* igitur oppreſſo in correctione non debet denegari appellationis remedium, cum plerumque per eam gravetur, *c. licet, hoc tit.* argumento textus *in c. ſuper quæſtionum, §. nos autem, de officio deleg. c. quod conſultationem, de re judic. c. conſuluit, c. novit, de appell.* Augetur hæc difficultas ex eo, quia ubi agitur de conſervanda eccleſiaſtica diſciplina, & ut ſubditi a delictis reſipiſcant, tractatur correctionis cauſa præcipua; hæc eſt enim finis cenſuræ, ut ſubditi ab exceſſibus cohibeantur; ſed ubi agitur de eccleſiaſtica diſciplina, admittitur appellatio, quoties oppreſſus propter gravamen duxit appellandum, *c. reprehenſibilis, v. Nec ſubjecti, juncto verſic. Si vero, c. cum ſpeciali, §. porro, de appell.* igitur in cauſa correctionis admittitur appellatio. Augetur ſecundo hæc difficultas ex eo, nam certum eſt, quod omnis cenſura principaliter reſpicit correctionem, juxta D. Paulum *ad Corinth. cap. 5. Tradidi eum Satanæ, ut ſpiritus ejus ſalvus fieret*: & *c. 1. de ſent. excomm.* & tamen a ſententia excommunicationis admittitur appellatio, *c. per tuas 40. de ſent. excom. cap. venerabilis 7. eod. tit. l. 6.* igitur in correctione appellationi locus eſt. Tertio fulcitur hæc difficultas in hunc modum, aut in hujuſmodi cauſis correctionis appellatio rejicitur, quia neque vera, neque præſumpta cauſa appellandi proponitur; vel ea adhuc adſtante appellatio removetur. Primo caſu nihil ſpeciale ſtatuitur circa cauſas correctionis, ſiquidem in aliis ceteris cauſis appellatio frivola abſque juſta cauſa interpoſita rejicitur, *c. cum appell. de appell. l. 6.* Secundo vero caſu ſuggerente juſta cauſa in omnibus cauſis etiam correctionis appellationi legitime interpoſitæ deferendum eſt, *c. licet 12. hoc tit.* igitur in cauſa correctionis appellatio admittitur. Secundo difficilis eſt illa concluſionis pars, ubi docetur, conſuetudine præſcribi non poſſe, ut Prælatus corrigere nequeat exceſſus ſubditorum; primo enim ita inſurgo: illud poteſt conſuetudine introduci, quod privilegio concedi valet, *c. ſuper, §. præterea, de V. S. l. 3. §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana*: ſed ſic eſt, quod privilegium Pontificium poteſt eximere ſubditum Epiſcopi ab ejus correctione *c. penul.* juncta Gloſſa ultima, *hoc tit.* igitur & conſuetudo. Deinde, nam multo magis potens eſt conſuetudo, quam privata præſcriptio, juxta vulgo tradita per Doctores *in c. conſuetudo, 1. d.* ſed privata præſcriptio poteſt eximere ſubditum a correctione Epiſcopi, *c. cum ex officii 26. verſic. Nos igitur, c. cum olim, de præſcr.* igitur & conſuetudine hoc ipſum introduci poteſt. Tandem augetur hæc difficultas ex eo, quia ſi appellatio jure communi in cauſis correctionis non admitteretur, fruſtra concederentur tot privilegia a Romana Sede religionibus, ut in cauſa correctionis regularis non liceat appellare, quæ refert Bruno *d. propoſ. 5.* igitur ſi conceduntur, eſt quia jure communi licet appellare.

3 De correctione clericorum. His tamen difficultatibus non obſtantibus verum eſt, Epiſcopum debere corrigere exceſſus ſuorum clericorum, ut late probavi *in c. 1. hoc tit.* & ſi clerici ex Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ſint, & correctio ſpectat ad Capitulum, eo negligente, exceſſus corrigit Epiſcopus; & cum agit ad emendationem morum alicujus Canonici, etiam jure communi attento debet procedere cum Capituli conſenſu, *c. 3. de conſuet. c. Epiſcopus, c. felix, c. ſi autem 15. q. 7. c. ſcitote 6. quæſt. 3. cap. novit, de his, quæ fiunt a Præl.* pluribus relatis defendunt Saravia *de juriſd. adjunct. quæſt. 1. per totam*, Solorz. *t. 2. de jure Ind. l. 3. c. 14. n. 57.* Hodie vero ex diſpoſitione Concil. Trid. *ſeſſ. 6. de refor. cap. 4. & 25.* debet Epiſcopus procedere contra Capitulares cum conſilio adjunctorum: cum autem Epiſcopus ad correctionem procedit, appellatio non admittitur, quoad effectum ſuſpenſivum; quoad devolutivum vero appellationi locus eſt, *cap. licet*, ibi: *Diffugium hoc tit. d. c. ad noſtram*. Pro qua ſententia facit efficax ratio; nam in omni cauſa, & quoad utrumque effectum appellatio cenſetur conceſſa, niſi expreſſe reperiatur prohibita, quod ſatis conſtat ex regula textus in *in leg. in majoribus 20. C. de appell. c. omnis 2. q. 6.* Covar. *pract. q. 23. n. 4.* ſed in præſenti textu, & aliis ſupra expenſis appellatio tantum reperitur inhibita,

bita, quoad effectum ſuſpenſivum: igitur quoad effectum devolutivum appellatio neceſſario admittenda eſt. Facit Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 18.* in illis verbis: *Executionem quoquo modo impediat, aut ſuſpendat*: quaſi Patres ſolummodo intendant inhibere illam appellationem, quæ executionem impediat, aut ſuſpendat; non vero eam, quæ tantum ad ſuperiorem cauſam devolvit. Idem etiam innuitur in eodem Concilio, *ſeſſ. 13. c. 1. verſ. In cauſis*. Hæc tamen concluſio procedit, dummodo in correctione modus non excedatur; tunc enim non ſolum quoad devolutivum, verum & quoad ſuſpenſivum effectum admittitur appellatio, ex hoc textu, *verſ. Niſi forſan in talibus, & c. licet*, ibi: *Aliquis caſus emerſerit*. Faciunt etiam textus *in c. ei qui appellat, verſ. Ab executore*, ubi Gloſſa *v. Non poteſt, cap. novit 43.* juncta Gloſſa *v. Modum, de appell.* quo modo accipiendi ſunt textus *in cap. cum ſpeciali §. porro, verſ. Ab exceſſu, c. reprehenſibilis 26.* ubi Gloſſa, *v. Competens, eod. tit. de appel. cap. univerſitas 24. verſ. Nobis autem, de ſentent. excom.* Docent plures relati a Salgado *ubi ſup.* Quin imo etſi adhuc non detur exceſſus; ſi tamen probabiliter timeatur, a futuro gravamine admittitur appellatio, quoad utrumque effectum, argumento textus *in cap. 1. de dilationib. cap. conſuluit 18. cap. bonæ 51. in princip. de appell.*

4 Traditur ratio decidendi. Præſentis deciſionis ratio ea communiter traditur ab Interpretibus; ideo videlicet appellationem non admitti a correctione, quia hujuſmodi correctio & emendatio ſubdito inflicta ob exceſſus a ſe commiſſos, habet rationem pœnæ reſpectu talis exceſſus: ſed a pœna non admittitur appellatio, *l. ſi quæ pœna 244. ff de V. S.* M. Tul. *de l. Agraria orat. 2. Datur cognitio ſine conſilio, pœna ſine provocatione, animadverſio ſine auxilio*. Illuſtrant Fornerius, & Gentilis *in d. l. 224.* igitur neque a correctione admittitur appellatio. Ratio autem quare a pœna provocare non licet, triplex a Doctoribus aſſignatur. Prima, quia lex pœnalis lata eſt a legiſlatore, qui ſuperiorem non recognoſcit; unde ſicut neque ab ipſo legiſlatore, ita neque a lege admittitur appellatio, juxta textus *in l. 1. ff. de appell. l. 2. ver. Axatis, ff. de origine juris*. Secunda ratio redditur, quia lex alicui damnum non infert, cum pro communi omnium bono lata ſit, unde ab omnibus eſt obſervanda, *c. erit autem, 4. d. c. 1. de conteſt.* ac proinde nullus poteſt appellare, cum deficiat gravamen, *d. c. omnis*. Tertia tandem ratio aſſignatur a Paulo *in d. l. ſi quæ pœna*, in illis verbis: *Simul atque reus convictus proponitur ejus maleficii, cui pœna a lege eſt inflicta, ſtatim illa debetur*. Tacite enim delinquens obligatur, & quaſi conſentit pœnæ a lege impoſitæ. Secundæ partis hujus aſſertionis ratio redditur a Patribus Conc. Later. in præſenti, videlicet, quia appellationis remedium non ideo eſt inventum, ut alicui a religionis, & ordinis obſervantia debeat in ſua nequitia patrocinari. Facit etiam textus *in c. ſpeciali, §. porro de appell.* junctis traditis a Bruno Caſſaing, & Gibel. *ubi ſup.* & cum conſuetudo ſacris canonibus contraria, & quæ invitat ad peccandum per impunitatem delicti, ut corruptela rejiciatur a Sanctis Patribus, *c. 1. & ultim.* ubi plura de conſuetudine dedi; ideo conſuetudo, per quam ſubditi eximuntur a correctione ſubditorum, in præſenti improbatur.

5 Diſſolvitur prima difficultas. Nec prima difficultas ſupra adducta obſtat; licet enim omnibus oppreſſis liceat provocare, tamen in cauſis correctionis non admittitur appellatio, quia nulla datur oppreſſio: & licet raro contingat, ut ſubditus innocens corrigatur, potius expedit, ut unus patiatur, quam totius eccleſiaſticæ diſciplinæ nervus diſrumpatur, præcipue quia ſi modus in correctione excedatur, appellatio admittitur. Nec obſtat augmentum deductum *ex d. c. reprehenſibilis, v. Si vero*; quia in eo appellationi locus eſt propter exceſſum in correctionis modo; & tunc juxta ſupra tradita appellatio etiam a correctione admittitur: quod & hodie poſt tot privilegia religionibus conceſſa in hac parte obſervari, docent Gibalinus, & Bruno Caſſaing *ubi ſup.* Nec ſecundum augmentum difficultatis obſtat, in quo dicebamus appellationem admitti a ſententia excommunicationis. Nam reſpondendum eſt, tunc appellationem admitti quoad effectum devolutivum, non vero quoad ſuſpenſivum, quod ex natura ipſius cenſuræ provenit, *c. licet*, ubi Gloſſa *hoc tit. c. Paſtoralis 53. §. verum, de appell.* & ſi excommunicatio prolata adhuc non ſit, appellatio utrumque effectum operatur, etiam in caſu correctionis; quia cum hujuſmodi pœna ſit adeo gravis, ut nulla reperiatur in Eccleſia major, *c. corripiantur 24. q. 3.* opportuit appellationem admitti ab ea, quod omnes effectus. Nec tertium augmentum difficultatis refragatur; magnum enim diſcrimen verſatur inter appellationem a correctione interpoſitam, & inter provocationem ab alia qualibet cauſa. In appellatione a correctione, etſi juſta cauſa exprimatur, ſi tamen propter exceſſum in modo gravamen non ſequitur, appellatio quoad utrumque effectum non admittitur; in alia vero qualibet appellatione, dum adeſt juſta cauſa, appellatio utrumque effectum operatur. Nec tandem ultimum augmentum obſtat; nam reſpondetur, privilegia non ſemper aliquid novum continere, ſed majoris expreſſionis, & explicationis gratia concedi, ut probat Thom. Sanch. *l. 2. de matrim. diſp. 37. n. ult.* Deinde in hoc caſu aliquem novum continent privilegia; nam jure communi, ut ſupra inculcavi, licebat a correctione appellare, ſi exceſſus in ejus modo daretur: poſt prædicta vero privilegia non licet, niſi exceſſus manifeſtus ſit, ut probant Thom. Sanch. *t. 1. ſummæ, lib. 6. cap. 8. num. 20.* Suar. *t. 4. de relig. lib. 2. cap. 11.* Bruno Chaſſaing. *d. propoſ. 5.*

6 Reſpondetur ſecundæ difficultati. Nec etiam obſtat ſecunda difficultas, verum enim eſt, correctionis modum nulla conſuetudine tolli poſſe. Ratio eſt, quia hujuſmodi bonum adeo diſciplinæ eccleſiaſticæ convenit, ut nulla cauſa valeat impediri, ut Patre in præſenti docent, & in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. c. 10. prope finem*, fulciturque ea ratione, quia præceptum correctionis divinum eſt, juxta caput 18. Matthæi, ibi: *Corripe eum*, de quo *in c. ſi peccaverit 2. q. 1. c. novit, de judiciis*. Unde nec conſuetudine, aut humana lege tolli poteſt, *c. ſunt quidam 25. q. 1. c. fin. de conſuet.* Nec contrarium probat difficultas ſupra adducta, pro cujus ſolutione, & vera interpretatione hujus textus *in princ.* & *§. exceſſus*, dicendum eſt, conſuetudinem, de qua in præſenti textu, dupliciter poſſe conſiderari, vel quatenus eſt totaliter impeditiva correctionis, vel quatenus eſt tranſlativa hujus poteſtatis in alium, ita quod correctionem non impediat, ſed corrigendi poteſtatem ab uno judex auferat, & in alium transferat. Inter utramque illud diſcrimen cognoſcitur, quod prior, ut irrationabilis, eſt invalida, neque ex ulla cauſa licita reddi poteſt: poſterior vero data juſta cauſa legitima poteſt introduci, & defendi. Ratio diſcriminis eſt, quia in totum impedire bonum correctionis, eſt directe offendere ſalutem ſpiritualem animarum, & finem eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ potiſſimum intendit bene, beateque vivendum eſſe. D. Thom. *l. 1. de regim. Princ. c. 14.* Gloſſa 2. *in c. cum contingat 28. de jurejur.* Navar. *in c. novit, notab. 3. de judiciis*; cum bonum correctionis non ſolum lege humana, verum & divina Eccleſiæ Prælatis circa proprias oves ſit acriter injunctum, ut in principio hujus textus docetur; unde conſequens eſt, nihil poſſe ab humana poteſtate ſtatui, quo tale bonum in totum impediatur: quæ cauſa cum prorſus deficiat in conſuetudine, quam vocant Doctores tranſlativam, nihil obſtat quominus admittatur, quin imo aliquando expediet de uno in alium Prælatum hujuſmodi correctionis munus transferri, quippe qui facilius, & diligentius illud exequatur, unde textus hic in principio accipiendus eſt de conſuetudine impeditiva correctionis *in verſ. Exceſſus*, non de illa, quæ impedit, ſed ſolum transfert correctionem Canonicorum in Capitulum. Quæ interpretatio communis eſt Antonii *hic, num. 16.* Baldi *num. 2.* Abbatis *in fine, principii*. Pro qua etiam expendi poſſunt verba illius textus, *correctionem impedire*, quaſi præſens prohibitio ſolummodo feratur in eam conſuetudinem, quæ fuerit impeditiva correctionis. Faciunt etiam illa verba dicti *§. Exceſſus*: *Qui conſueverunt corrigi*: quæ tantum important conſuetudinem tranſlativam. Denique expendi poteſt pro hac ſententia exemplum præſcriptionis; præſcriptio enim tranſlativa correctionis admittitur, licet non admittatur impeditiva, *c. cum ex officii, de præſcript.* igitur ſimiliter conſuetudo tranſlativa admittitur. Nec huic ſolutioni refragatur univerſalis illa negativa hujus textus, *Nulla conſuetudo*; quæ omnem prorſus rejiciunt conſuetudinem contrariam; intelligenda enim ſunt illa verba, quoad effectum, quem ſequentia demonſtrant, ibi: *Valeant impedire*, juxta textum *in l. hac ſcriptura 30. §. ult. ff. de legat. 1. c. mandato 6. c. ſcribam 9. de præſumpt.* Similiter etiam cum privilegio quis eximitur a juriſdictione alicujus, & alterius poteſtati ſubjicitur, non impeditur correctio, ſed transfertur. Nec obſtat augmentum ultimum difficultatis, argumento deducto a præſcriptione; omiſſa enim quæſtione, utrum privata præſcriptio eoſdem effectus habeat ac conſuetudo, quam diſputant Doctores *in c. ſi diligenti, de præſcript.* Barboſa *de præſcript. 1. p. q. ult. n. 5.* Rebuffus *t. 3. ad leges Galliæ, tit. de conſuet. n. 26.* Covar. *l. 1. variar. c. 17. n. 8.* Connanus *l. 1. com. c. 10.* eodem modo ſatisfaciendum eſt, videlicet, ut ſi præſcribatur exemptio, ut correctio omnimode negligatur, non admittatur ſimilis præſcriptio: quo modo in amicitiam reduci debet textus *in d. c. cum ex officii*, cum textibus *in c. olim, c. cum perſonæ, de privil. c. olim, de cenſibus, c. ex frequentibus, de inſtit.*

Superiori aſſertioni primo adverſatur textus *in c. de priore 31. de appell.* ex quo expreſſe deducitur, in cauſa correctionis appellationem admitti, & provocantem mittendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, ut eam proſequatur: igitur quia in cauſa correctionis appellationi locus eſt. Pro cujus textus expoſitione Gloſſa *ibi, verb. Appellationem*, affirmant appellationem ibi admiſſam fuiſſe: quia Prælatus modum exceſſerat in correctione, & tunc juxta ſupra tradita, appellationi locus eſt. Gloſſæ ſententiam ſequuntur omnes repetentes *ibi*, & plures congeſti a Salgado *de protect. d. 1. p. c. 25.* Suarez *t. 4. de relig. l. 2. c. 11.* Barb. *l. 2. voto 67.* Gibalin. *diſt. diſquiſ. 5. §. 3. conſect. 5.* Balboa *in c. ad noſtram, de appel.* Sed licet hæc doctrina vera ſit, tamen non convenit deciſioni textus *in d. c. de priore*; ſiquidem ex ejus contextura non liquet, ibi peccatum fuiſſe in exceſſu, aut agi de cauſa correctionis: quare alii exiſtimarunt, textum illum nullatenus eſſe accipiendum de appellatione prout eſt juris remedium, quo poteſtas inferioris ſuſpenditur, & negotium ad ſuperiorem devolvitur; ſed de accuſatione Prælati, ita ut verbum illud, *appellavit*, accipiatur pro *accuſavit*; quia plerumque appellare ponitur pro accuſare, ut conſtat *ex l. is qui prior 29. ff. de judiciis*, ibi: *Qui prior appellavit*, ideſt, qui prior accuſavit, aut in judicio egit, ut exponunt Faber & Gothofredus *ibi*. Sed neque hæc interpretatio admitti poteſt; tum quia rubricæ non convenit; tum quia ſi Pontifex ageret de accuſatione, qua canonicus Priorem ad Sedem Apoſtolicam appellabat, quamvis Prior accuſatus non comparuiſſet apud Pontificem, non erat ob eam cauſam cum litteris veritatem continentibus ad Sedem Apoſtolicam mittendus, ſed ut vere contumax judicandus, & condemnandus erat, ut *in c. veritatis 8. de dolo & contum.* quare his ſolutionibus omiſſis, facilius textus ille intelligendus ex juxta rubricam, ſub qua jacet, de appellatione vera interpoſita, non tamen in cauſa correctionis; ſed de ea, quæ interponitur ab enormitatibus, & exceſſibus, quos Prior committebat; ſicut plerumque appellatio interponitur a futuro gravamine *in c. conſuluit, c. bonæ, de appel.* cui appellationi cum Prior deferre noluiſſet, juſte mittitur puniendus ad 7 Exponitur c. de priore, de appell.

Sedem

BIBLIOTECA CENTRAL

Sedem Apoſtolicam cum litteris veritatem continentibus, ut probat Gloſſa ultima *ibi*.

8 *Intelligitur c. nos inter, de purgat. canonica.* Deinde adverſatur textus *in c. nos inter 6. de purg. canon.* ubi deciditur, quod ſi Epiſcopus ſubditum ſuum corrigens ipſi purgationem injungat, poteſt ſubditus ab hac ſententia appellare, igitur quia in cauſa correctionis admittitur appellatio. Cui difficultati communiter reſpondetur, textum illum procedere cum ſubditus habuit juſtam cauſam appellandi, veluti quia Epiſcopus modum in correctione exceſſerat, vel alio modo gravabat juxta textum *in c. licet, hoc tit.* Ita textum illum accipiunt Gloſſ. ultima *ib.* Abbas *in eo textu*, Simanchas *de cathol. tit. 56. n. 25.* Verum hæc interpretatio facile refellitur ex eo, quia etſi attente legatur textus ſeries, non conſtat exceſſum ibi commiſſum fuiſſe ab Epiſcopo; quare hac omiſſa ſolutione, placet interpretatio Gloſſæ *in c. licet, hoc tit.* quæ affirmat textum illum non eſſe accipiendum de correctione, ſed purgatione canonica propter delictum injuncta, in qua deficiens, ut convictus punitur pœna ordinaria, *c. cum P. verſic. Deficiente, de purg. can.* Ratio hujus ſententiæ licet a Gloſſa non aſſignetur, ea eſt, videlicet quia cauſa, ob quam indicebatur purgatio canonica, non erat notoria; ſiquidem injungebatur purgatio; unde cum notoria non eſſet, recte potuit appellari a gravamine illato.

§.

CEterum ſi canonici abſque manifeſta, & rationabili cauſa (maxime in contemptum Epiſcopi) ceſſaverint a *a* divinis, Epiſcopus ſi voluerit, nihilominus celebret in Eccleſia Cathedrali, & *b* Metropolitanus ad querelam ipſius, tamquam ſuper hoc delegatus a nobis taliter eos per cenſur. eccleſ. cognita veritate caſtiget, quod *c* pœnæ metu talia de cetero non præſumant.

NOTÆ.

1 a A *Divinis officiis.*) Ut in definitione ceſſationis apponitur:

b *Metropolitanus.*) Id eſt Archiepiſcopus, qui per appellationem, aut viam querelæ adiri poteſt, ut late probavi *in c. duo, c. paſtoralis, hoc tit.*

c *Metu pœnæ.*) Hic eſt finis, & utilitas pœnarum, videlicet, ut malefici emendentur, & alii deterreantur, *l. bona fides 31. ff. depoſiti, l. ult. C. de Epiſc. & Cleric. Ut metu pœnæ eos, qui ad peccandum proclives ſunt, a peccando arceamus: & l. 7. §. ſi. ff. de pœnis, l. 1. §. 1. ff. de juſtit. & jure*, Plutarchus *in vita Solonis: Sunt hæc duo quaſi elementa quædam virtutum; nam & præmii ſpes ad optima quæque ſtudia promptiores, & pœnæ motus ad actiones pravas tardiores facit.* Boetius *lib. 4. de conſolat. proſ. 4. Corrigi ultione pravos mores, & ad rectum ſupplicii terrore deduci, ceteris quoque exemplum eſſe culpanda fugiendi.* Plura Rhiterurſius *in notis ad Salvianum de provid. pag. 34.* Legislatores enim optantes homines facere bonos, æquos, & ab illicitis abhorrentes, comminatione pœnarum, & propoſitione præmiorum uſi fuerunt; nam ubi malos præmia ſequuntur, haud facile quiſquam gratuito bonus eſt: verba ſunt Philippi *in orat. contra Lepidum*, apud Saluſtium *in fragm. ex l. 1. Hiſtor.* Nam

—— Tanto major famæ ſitis eſt, quam
Virtutis; quis enim virtutem amplectitur ipſam
Præmia ſi tollas?

Ut prudentiſſime dixit Juvenalis *ſatyra* 10. Sed quia multi adeo in vitia proni ſunt, ut citius præmiis virtuti propoſitis carerent, quam eam ſequerentur, quam contra naturam, aſperam, trucem, & impenetrabilem haberent, deſpiciunt, & averſantur, neceſſaria fuit pœnarum comminatio, ut metu perculſi a vitiis abſtineant, quia moribus ducti, nunquam virtutem amplecterentur, ut deſinant ſaltem mali eſſe, qui nolunt eſſe boni. Liceat hic uſurpare illud Horatii:

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

Itaque primo, & principaliter jus intendit homines bonos facere; quod ſi aſſequi non poſſit, ad minus ſatagit ne mali ſint: idcirco primi legislatores ad pœnas malefactis imponendas, quam ad proponenda præmia magis intentos fuiſſe forſan notari poteſt, quia facilius ſocietas humana inter nos uſquequaque bonos conſervatur, quam inter malos, ne damnemus auctores ab omni ſæculo probatiſſimos, qui hanc ferendarum legum præcipuam rationem fuiſſe tradiderunt. Abbas Serenus *collat. 8. c. 25.* apud Jo. Caſſian. "Deus hominem creans omnem naturaliter ei ſcientiam legis inſeruit, quæ ſi fuiſſet ab homine ſecundum propoſitum Domini, ut cœperat, cuſtodita, non utique neceſſarium fuiſſet aliam dari, quæ per litteram poſtea promulgata eſt. Erat enim ſuperfluum extrinſecus offerri remedium, quod adhuc intrinſecus vigebat inſertum: ſed quia hæc, ut diximus, penitus jam fuerat corrupta libertate uſque peccandi, velut hujus exactor, ac vindex, & ut ipſis Scripturæ verbis eloquar, adjutrix appoſita eſt Moſaicæ legis ſevera diſtrictio, ut vel metu pœnæ præſentis non penitus bonum ſcientiæ naturalis extingueretur." Concinit D. Hieronym. *in ep. ad Galat. D. Pauli, c. 3.* ad illa verba: *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*; quem affert Adardus Gazeus, ſed non poteſt omitti. Sic ait: "Pedagogus parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera ſtudiis eruditur infantia, & ad majores Philoſophiæ, & regendæ Reipublicæ diſciplinas metu pœnæ coercita præparatur." Ecce ſub allegoria primæ ætatis reddit cauſam S. Doctor, propter quam lex populo Hæbraico data fuit. Certiora hæc ſunt, ſed nec deſunt in idem tendentia teſtimonia Gentilium, qui cauſas naturales ſolerti ſpeculatione indagarunt. Primo loco advocandus eſt Polybius in ſuo doctiſſimo initio libri *6.* hiſtoriarum, ubi in narrando exordio Monarchiæ, de juſto, & injuſto præmio & pęna eleganter ediſſerit. Brevius, ſed graviter Tacitus *l. 3. annal.* "Vetuſtiſſimi, *ait*, mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pęna, aut coercitionibus agebant; nec præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetebatur; at poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia, ac pudore ambitio, & vis incedebat, provenere dominationes." Poetæ etiam præluſerunt, ex quibus Titus Lucretius Carus doctiſſime,

Res itaque ad ſummam fæcem, turbaſque redibat,
Imperiumque ut ſibi ſummatim quiſque petebat;
Inde Magiſtratuum partem docuere creare,
Juraque conſtituere, ut vellent legibus uti;
Nam genus humanum defeſſum vi colere agunt;
Ex inimicitiis languebat, quo magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges, arctaque jura
Acrius ex ira; quod enim ſe quiſque parabat
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis:
Pertæſum eſt homines hanc ob rem vicolere ævum,
Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ.

Quæ omnia ſacra, profanaque illuſtrant, comprobant, & mirifice tuentur ſententiam Gratiani *in pric. 4. d.* ubi ſic inquit; *Cauſa conſtitutionis legum eſt humanam coercere audaciam, & nocendi facultatem refrenare.* Adducitque ex noſtro S. Doctore S. Iſidoro Hiſpalenſi hunc textum: *Factæ ſunt autem leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas.* Utitur, & exponit hoc teſtimonium D. Thom. 1. 2. *q. 95. art. 1. verſ. ſed contra*, notavi jam *in apparatu, & in c. 4. de elect.*

COMMENTARIUM.

2 *Concluſio probatur.* EX hoc §. deducunt communiter interpretes: *Quod ſi canonici ſine manifeſta, & rationabili cauſa ceſſant a divinis, Epiſcopus ceſſationem ſervare non cogitur, & Metropolitanus, ut delegatus Pontificis de ceſſationis cauſa cognoſcet.* Quæ concluſio ſingularis in jure eſt. Eam tamen illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Cæſar *de eccl. hier. 1. p. diſp. 5. §. 2. n. 30.* Gibalin. *de cenſur. diſquiſit. pag. 109. n. 9. & pag. 380.* Moneta *de commut. ultim. c. 3. n. 4.* Barb. *alleg. 92.* omnes Claſſici *in c. ſi canonici, hoc tit. l. 6.*

3 *Ratio dubitandi.* Sed hæc communis aſſertio impugnari poteſt ſequentibus juris principiis. Primum eſt: Capitulum etiam præſente Epiſcopo poteſt interdictum, & ceſſationem a divinis in Eccleſia apponere, *c. dilecti, de appel. c. ex parte, el. 1. V. S. c. ſi canonici, hoc tit. l. 6.* ſed ſententia legitimi judicis, ſive juſta, ſive injuſta, eſt tenenda, *c. ſententia Paſtoris 11. q. 3.* junctis traditis a Caſtro *de lege pœnali l. 1. pag. 35. litt. E.* Covar. *in c. alma, 1. p. §. 7. n. 10.* Mancino *controv. diſſert. 15. c. 15.* Balboa *in c. 1. de re judic. n. 36.* Grethſero *de immunit. eccl. pag. 353.* P. Greg. *l. 4. partit. tit. 16. c. 1.* Magallano *in D. Paulum, ad Timoth. c. 1. ſect. 8. art. 4.* in dubio enim pro judice præſumptio extat: *c. in præſentia, de renunt.* Gamma *dec. 37. n. 1.* igitur Epiſcopus tenetur ſervare ceſſationem a divinis indictam a Canonicis, etſi ex cauſa injuſta. Secundo alia pars hujus deciſionis, quæ in præſenti ſpecie Metropolitano, ut delegato Sedis Apoſtolicæ cognitionem cauſæ competere affirmat, difficilis redditur ex eo, quia Epiſcoporum querelæ, eorumque negotia jure proprio, & ordinaria juriſdictione ad Archiepiſcopum ſpectant: *c. 1. c. illis, 80. d. c. duo, hoc tit.* igitur in præſenti caſu ad Archiepiſcopum ut ordinarium, non ut delegatum cauſæ cognitio ſpectabat.

4 *Ceſſatio a divinis quid, & a quibus imponatur.* Adhuc tamen defenſanda eſt præſens Conc. Lateran. deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, ceſſationem a divinis, de qua Patres in præſenti agant, eſſe ſuſpenſionem divinorum officiorum, & organorum Eccleſiæ in aliquem locum decretam. Ita Silveſter, & alii Summiſtæ *v. Ceſſatio a divinis*, Majolus *de irregul. l. 3. c. 20. in fin.* Covar. *in c. alma, 2. p. §. 2.* Suar. *de cenſur. diſp. 39. ſect. 1.* Alterius *eod. tr. diſp. 2. c. 1.* Avila *de ceſſatione a divinis, diſp. 1.* Giballin. *de cenſur. diſq. 1. pag. 11.* Et licet in pluribus conveniat hæc cenſura cum interdicto, imo aliquando confundatur, ut *in c. dilecti 55. de appell.* tamen in aliis quamplurimus differt. Primo, quia ceſſatio a divinis proprie non eſt cenſura, ut interdictum, ut defendunt Suar. *de cenſur. diſp. 39. ſect. 1.* Gibal. *ubi ſup. pag. 11.* Secundo, quia nec in caſibus exceptis *in c. alma mater, de ſent. excom. l. 6.* licet tempore ceſſationis divina officia celebrare, ut reſolvit Gibalin. ubi proxime, *pag. 375.* Tertio, quia tempore ceſſationis a divinis tantum Baptiſmus, Penitentia, & Euchariſtia per modum viatici adminiſtrari poſſunt, & ſemel in hebdomada gratia conficiendi Corpus Chriſti Miſſam celebrare licet, *c. permittimus, de ſent. excom.* docet Gibalin. *ubi ſup. pag. 377.* Differt etiam ceſſatio ab interdicto in aliis quampluribus caſibus; quos congerunt Avila *ubi ſup. dub. ult.* Sayrus *de cenſur. l. 5. c. 17.* Hurtado *de ceſſat. a divinis, diſp. c. 1.* Ceſſationem a divinis apponere poſſunt omnes illi, qui & interdictum indicere valent. Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 2.* Covar. *in d. c. alma, 2. p. §. 2. n. 6.* ut judices ordinarii, videlicet Epiſcopi, *c. cum inter, de conſuet. c. tranſmiſſa, de elect. c. auditis, de præſcript. c. cum plantare, §. 1. c. Epiſcoporum, de privil.* Magiſtri ſcholarum, ut probet Eſcobar *de Pontificia juriſd. c. 22. §. 8.* judices delegati, *c. ſane, c. ex litteris, de officio delegat.* Capitulum Sede vacante, quia ſuccedit in omnem juriſdictionem Epiſcopi, *c. 2. ne ſede vacante, c. penult. & ult. de ſupplend. neglig. l. 6.* Trid. *ſeſſ. 24. de refor. c. 16.* Canonicis etiam Eccleſiarum Cathedralium, ſi privilegio, aut conſuetudine juriſdictionem obtineant, poſſunt interdictum, & ceſſationem a divinis indicere, *c. dilect. 55. de appell. d. c. cum inter, de conſuet. c. ex parte, el 1. de V. S. c. ſi Canonici, c. quamvis, hoc tit. l. 6. Clem. 1. de ſent. excommun. c. ſtatutum, eod. tit. in 6.* ſed ſicut inſpecto jure communi Epiſcopus ſine Capituli conſenſu graviora Eccleſiæ negotia peragere non poterat, *cap. novit. 4. c. ea noſcitur 6. cap. tua 8. de his, quæ fiunt a Prel.* nec ceſſationem a divinis indicere, *c. 1. de exceſſib. Prælat.* ita ſimiliter jure communi attento Capitulum ſine aſſenſu Epiſcopi interdictum aut ceſſationem apponere nequibat, *c. 2. de his, quæ fiunt a majori parte*, Gibal. *ubi ſup. pag. 109. n. 9.* inter Epiſcopum autem ordinarium judicem, & Capitulum, cum juriſdictionem habet, illud diſcrimen notandum eſt, quod in Epiſcopo ceſſationem a divinis indicente tantum deſideratur juſta, & rationabilis cauſa; in Capit. vero Eccleſiæ Cathedralis manifeſta ſimul, & rationabilis cauſa requiritur, ut conſtat ex hoc textu, in illis verbis, *Abſque manifeſta, & rationabili cauſa*; in quibus jus ſpeciale ſtatuitur, cum regulariter in omnibus Prælatis, & in quibuſcumque actibus gerendis ad illorum juſtitiam tantum deſideretur rationabilis cauſa, non vero manifeſta; idque ſatis innuit Bonifacius VIII. *in d. c. quamvis*, in illis verbis: *A prædeceſſoribus noſtris manaverint inſtituta*; ubi alias præſcribit conditiones Pontifex, quas Canonici obſervare debent in imponenda ceſsatione a divinis, quas etiam illuſtrant Sayrus, & Alterius *ubi ſup.* Gibalinus *ubi proxime, pag. 380.*

5 *Probatur præſens deciſio.* Quibus animadverſis apparet jam vera ratio hujus deciſionis, nam licet Canonici in hujus textus ſpecie haberent virtute privilegii, aut conſuetudinis facultatem ferendi ſententiam ceſſationis a divinis; tamen cum exinde non levis ſequatur divini cultus diminutio, non ob quamlibet cauſam, ſed ob manifeſtam, & gravem debebant ceſſationem apponere, alias ſi ſine manifeſta cauſa ceſſationem indixerint, non tenetur Epiſcopus eam obſervare, imo nec alius quilibet tenetur parere hujuſmodi ſententiæ, cum Canonici tantum ceſſationem a divinis apponere poſſint ob gravem, & manifeſtam cauſam. Debet etiam Archiepiſcopus Canonicos injuſte a divinis officiis ceſſantes punire, non ut ordinarius judex, ſed ut delegatus Pontificis; quia ut ordinarius, in Canonicos, & alios ſuffraganeos Epiſcopi tantum in certis caſibus poteſt animadvertere, & de eorum cauſis cognoſcere, *c. duo, c. paſtoralis, hoc tit.* unde tantum ut delegatus poteſt adverſus eos procedere. Cæſar *eccl. hier. diſp. 5. §. 2. n. 30.* Nec obſtat jam prima difficultas ſupra adducta *ex c. ſententia 11. q. 3.* procedit enim textus ille, cum ſententia prolata eſt a legitimo judice, ſervatis conditionibus, & requiſitis a jure præſcriptis; tunc enim licet de injuſtitia ſententiæ dubitetur, ſervanda eſt, *d. c. ſententiam*; at vero præſens textus procedit, cum Canonici ſententiam ceſsationis protulerunt abſque juſta, & manifeſta cauſa, & per conſequens non ſervatis conditionibus a jure præſcriptis; tunc enim quia ſententia ex defectu juriſdictionis nulla eſt, Epiſcopus eam ſervare non tenetur. Nec ſecunda difficultas refragatur; licet enim Archiepiſcopus judex competens ſit in cauſa, quæ inter Epiſcopum, & Canonicos diſceptatur, tamen in præſenti caſu ulla lis inter Epiſcopum, & Canonicos non vertebatur, nec Epiſcopus conquerebatur de injuſtitia ſententiæ tantum, verum de ipſis Canonicis: unde tantum Innocentius, & PP. Concilii conſtituunt, Archiepiſcopum delegatum, ut animadvertat in ipſos Canonicos injuſte ceſſantes a divinis, ut patet ex illis verbis: *Per cenſuram Eccleſiaſticam, cognita veritate caſtiget*: quia cum, ut ordinarius eo punire non poſſit, ex ſupra traditis, vel delegatus in eos animadvertere valet; & hoc caſu Archiepiſcopus manet delegatus juris, ut dixi *in c. 1. c. cum in jure, de officio deleg.*

§. PRovideant itaque diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum ad quæſtum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant: ſed iſtud ſtudioſe, ac fideliter exequantur, ſi canonicam velint effugere ultionem, quoniam ſuper his Sed. Apoſt. auctore Domino attentiſſime vigilabit.

COMMENTARIUM.

1 *Ratio decidendi.* EX hoc §. communiter deducitur, prælatos in correctione ſubditorum cavere debere a penis pecuniariis, & aliis gravaminibus ſubditis non inferendis. Quod axioma, & auctoritate, & ratione probatur. Auctoritate textus *in c. ut Clericorum, de vita. & honeſt. Cleric. c. ſi lapis, 50. diſt. c. pauper 11. q. 3. c. licet 3. de pœnis.* Conc. Colon. *Conſtit. 8.* Aurel. 2. *Can. 3.* Cabil. ſub Carolo *Can. 18.* Turon. ſub Alex. III. *Can. 7.* Later. ſub ipſo *p. 2. c. 1.* Illuſtrant Alfaro *de officio Fiſchalis gloſſ. 9. n. 9.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 107.* Covar. *l. 2. variar. c. 9.* Salcedo *in praxi, c. 142.* Daniel de Nobilibus *in lectis controv. diſp. 30. n. 66.* Solorz. *de jure Ind. t. 2. l. 3. c. 7. n. 76.* Lantdmet. *l. 2. de veteri monach. c. 109. in fine*, Petrus Greg. *l. 4. partit. tit. 15. c. 1.* Fileſacus *in præſenti*, plures congeſti a Diana *p. 10. tr. 8. reſ. 1.* Rationi etiam valde conſona eſt hæc deciſio; nam ſi ad quæſtum pecuniæ Prælati in correctione tantum intenderent, violaretur auro juſtitia, nullamque reus pertimeſceret pœnam, quam ſcit poſſe pecunia redimere *d. c. ſi pauper.* Deinde quia ſi Prælati his pœnis pecuniariis aſſidue uterentur, potius propter quæſtum, quam propter emendationem eas impoſuiſſe præſumeretur, *c. licet. 3. de pœnis*: unde recte in præſenti a PP. ſtatuitur, procul abeſſe debere Epiſcopum a quæſtu pecuniæ in pęnis infligendis, & ſimul gravamen ullum eis inferre non debere cum pęnæ ſint commenſurandæ delicto, ut probavi *in c. 4. §. illo. de offic. deleg.*

Impugnatur. Sed contrarium, imo judices eccleſiaſticos in correctione ſubditorum, puniendiſque delictis debere pœnis pecuniariis, adſtruunt aliqua juris noſtri teſtimonia, præcipue textus *in cap. quoniam, 8. d. c. ſi quis contumax 20. 17. q. 4. c. quid ergo 23. q. 5. c. ſtatuimus 16. q. 1. c. qui ſubdiaconum 17. q. 4. c. dilectus 18. hoc tit. c. ad audientiam 13. de præſcr. c. olim, de injuriis, c. in Archiepiſcopatu, de raptorib. c. poſtulaſti, de Judæis, c. ex parte, de V. S. c. venerabilibus 9. §. denique, de ſent. excom.* Conc. Illib. *can. 5. Qui in Quadrageſima ante Paſcha cognoverit uxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium, videlicet 25. ſolidorum, ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus dividat.* Quod & praxis quotidiana teſtatur, quam referunt Farinac. *t. 1. praxis crim. q. 19. n. 41.* Barb. *de pot. Epiſc. d. alleg. 107.* plures relati a Diana *d. reſ. 1.* Pro concordia, & conciliatione §. cum prædictis juris locis dicendum eſt, verum eſſe, judices etiam eccleſiaſticos poſſe pęnas pecuniarias indicere pro emendatione delictorum, præcipue in illis provinciis, ubi magis facinoroſi terrentur multæ juriſdictione, quam aliis pęnis, eam tamen debere applicare piis locis, aut pauperibus, non autem in proprios uſus convertere, ut omnis avaritiæ ſuſpicio evitetur. Tr. *ſ. 24. de refor. c. 3.* Nec tantum multam dicere poſſunt eccleſiaſticis perſonis, verum & a laicis peccantibus pecuniam extorquere poſſunt, *cap. ſi quis contumax*. Unde PP. in præſenti non inhibent pęnas pecuniarias in correctione ſubditorum imponere, ſed ad quæſtum in proprios uſus convertere, ut late docet Diana *d. tr. 9. per tot.* & nos dicemus *in c. 3. de pœnis*, & docet Alteſserra *diſſ. juris Can. l. 2. c. 2.*

CAPUT XIV.

Idem in a eodem.

QUoniam in pleriſque partibus intra eamdem civitatem, atque diœc. permixti ſunt populi diverſarum *b* linguarum, habentes ſub una fide *c* varios ritus, & mores; diſtricte præcipimus, ut *d* Pontifices hujus civitatis, ſive diœc. eiſdem provideant viros *e* idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum & *f* linguarum divina officia illis celebrent, & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrent, inſtruendo eos *g* verbo pariter, & exemplo. *h* Prohibemus autem omnino, ne una, eademque civitas, ſive diœc. diverſos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diverſa capita, quaſi monſtrum. Sed ſi propter præſcriptas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci *i* Catholicum Præſulem rationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens, & ſubjectus. Unde ſi quis aliter ſe *j* ingeſſerit, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum: & ſi nec ſic reſipuerit, ab omni miniſterio eccleſiaſtico deponendum, adhibito, ſi neceſſe fuerit, brachio *k* ſæculari ad tantam inſolentiam repellendam.

NOTÆ.

1 a IN *eodem.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* ubi præſens deciſio deſumpta proponitur *ex cap. 9. Concilii Lateran.* ſub Innoc. III celebrati. Sed antequam ejus expoſitionem aggrediamur, hujus conſtitutionis cauſa, ſeu hiſtoria repetenda eſt. Anno enim 1204. urbe Conſtant. capta a Latinis, Balduinus Comes Flandriæ in ea Imperator renunciatus, & coronatus fuit. Thomas vero Maurocenus Patriarcha Conſtantinopolitanus electus, ac conſecratus fuit, in aliiſque civitatibus Imperii Orientalis Epiſcopi Latini præfecti fuerunt ut ex Villarduino, & Altiſſiodorenſi refert Spondanus *in continuat. Baronii, in prædicto anno*; & nos aliqua adduximus *in c. ſcriptum 40. de elect.* inde contigit, quod ſimul in eiſdem oppidis, & parochiis permixtim Latini, & Græci habitarent; & cum Græci juxta ritus proprios Eccleſiæ Orientalis vellent ſibi ſacramenta adminiſtrari; Latini vero a ſuis Epiſcopis juxta Eccleſiæ Latinæ ritus ſacramenta ſibi conferri peterent, Innocentius, ut Græcis, & Latinis conſuleret in Conc. Later. edidit præſentem conſtitutionem, qua ſtatuit, ut Epiſcopi eligerent parochos idoneos juxta linguam eorum, quibus ſacramenta adminiſtranda erant; & ſi neceſſitas poſtulaſſet, alium Epiſcopum, ut vicarium aſſumerent, ut per eum ſacramenta conferrentur; ita tamen, ut in una civitate duo Epiſcopi non conſtituerentur.

2 b *Diverſarum linguarum.*) Licet in exordio orbis apud omnes gentes unica tantum lingua nota eſſet, Hæbrea videlicet; erat enim tunc in univerſa terra ſermo unus, *Geneſi c. 11. v. 1.* poſtea tamen variæ gentes diverſis linguis, uti cœperunt, ut narrant Theologi poſitivi *in d. c. 11. Geneſis*, Ælias Scedius *de Diis Gentium, c. 10. per tot.* Aldrete *in origine linguæ Caſtellanæ*,